
R 092

ABUL ABBASI AMEDIS,

TULONIDARUM PRIMI

VITA ET RES GESTAE.


ABUL ABBASI AMEDIS,
TULONIDARUM PRIMI
VITA ET RES GESTAE.

EX CODICIBUS MSS. BIBLIOTHECAE LUGDUNO BATAVAE EDITISQUE LIBRIS CONCINNAVIT ET AUCTORUM TESTIMONIA ADJECIT

TACO ROORDA, FRISIUS,

THEOL. ET LIT. HUM. DOCTOR.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS,
MDCCCXXV.



PRAEFATIO.

Ex quo tempore ad sacrum munus praeparare me studui, semper operam meam in primis collocandam esse existimavi in studio rerum et literarum orientalium. Quae enim Deus unquam hominibus voluit modo extraordinario de religione patefacere, ea omnia patefecit in Oriente per homines orientales: Oriens quasi templum erat, ubi oracula divina edebantur; eaque nemo interpretari potest, nisi studiis illis initiatus. De iis oraculis, quae primis terrae incolis et gentis Israëliticae auctoribus atque prophetis edita sunt, et Hebraeis voluminibus continentur, res in confesso est: ceterum disciplina quoque Christiana, quamvis divina et coelestis origine aptaque naturâ omnibus terrae oris ac gentibus: formâ tamen, colore et veste est orientalis. E coelo delata a D. N. Jesu Christo in Oriente nato, explicata propagataque ab orientalibus, servata denique libris, in quibus longe plurima e loquendi, cogitandi, disserendi, agendi ratione, in Oriente usitatâ, explicanda sunt; ut vel oratio, qua conscripti fuerunt, Graeca quidem dicatur et Graecis quoque verbis contineatur, cum orientalibus autem multo magis conveniat.

Hos fructus id studium theologo fert, cuivis ingenuo eius cultori egregios alios. Eis allectus, postquam quinquennium cum summâ delectatione Gronin-

ningae egeram in studio theologiae et humanitatis, unum adhuc annum degere placuit Lugduni in Batavis, ubi studia rerum et literarum orientis praecipue florent, floret bibliotheca maximâ codicum omnis generis orientalium copiâ, florent nomina Hamakeri Palmiique nobilissima. Et propere animadverti, non magis in literis Arabum me posse proficere, quam si me totum dedissem in disciplinam Hamakeri, quo nemo ad discipulos consilio reque iuvandos paratior promptiorque, aptior eruditione et laboris patientiâ nemo. Hic mihi auctor fuit, ut historiam Tulonidarum, primae, quae in Aegypto imperium agitavit, familiae Turcicae, e codicibus manu scriptis Arabicis tractarem atque excerperem; varia testimonia inter se et cum memoriis aliis, iam impressione vulgatis, tum Arabicis, tum aliis inde petitis, conferrem; et ex his fontibus haustas accuratius, quam adhuc factum esset, res gentis illius perscriberem.

Ad eum igitur finem in manus dedit celeberrimas Chalicanidis vitas, Noveirii magnum opus historicum, de rebus Aegyptiis librum Macrizii (auctoris copiosi non solum, sed scriptorum Tulonidis aequalium, aut memoriae illorum temporum proximorum, auctoritatibus locupletissimi) Soiutium, alios; quos compararem cum Abulfedâ, Abulfaragio, Elmacino, Eutychio, Renaudotio, Deguignesio, et Freitagi annotamentis ad Kemaleddinis historiam Halebi; in quae ex manu scriptis codicibus Parisinis ad Tulonidarum historiam materiae multum collegit.

Sed quid profuisset haec monstratio fontium, nisi talem habuissem simul in hauriendo adiutorem, qualis mihi Hamaker fuit? Codices lectu non semper erant admodum faciles, et parum ad legendos codices manu scriptos Arabicos afferebam exercitationis; sed Ille librariorum imperitiae ac iniuriae temporis vermium-

miumque illudit. Si quid mendis exemplarium, aut modicâ linguae scientiâ, aut insolentiâ rerum, non satis intelligerem; illius aderant ingenium acre et vasta doctrina, quae tamquam oracula possem consulere. Interdum variae atque diversae auctorum relationes difficultates mihi parebant inenodabiles; at Ille litem scriptorum, utut discrepantium inter sese, facile componebat. O gratam memoriam temporis, huic libello impensi, quo non modo mihi licuit quotidiana tanti viri uti institutione, sed consuetudine quoque et amicitiâ; nam necessitudinem meam cum eo ut amicitiam dicam, indubitata permittit amoris illius erga me demonstratio.

At forte mirabitur aliquis, me, tali tantoque adiutum auxilio, non omnium elaborasse Tulonidarum historiam, sed vitam Amedis tantum: verum cogitet velim, discere iuveni praestare quam scribere, et eodem tempore conficere me debuisse doctrinae theologicae specimen Et vero ne hanc quidem partem iam perduxissem ad finem, nisi recognitionem libelli Hamaker in se suscepisset et quae ipse omiseram, annotationibus suis doctissimis, illo huius opusculi decore, supplevisset.

Quod reliquum est; ut libellus prodierit tam accurate typis expressus, non meâ quoque factum est curâ, sed cum Jacobi Geelii, viri doctissimi, et amicissimi Henrici Engelini Veiertis, scholae Hamakeriae spei, tum ipsius Hamakeri, qui quamvis plurimis gravissimisque occupationibus implicatus et oculorum morbo laborans, ad istum tamen laborem molestissimum et suam operam humaniter atque comiter obtulit. Sed correctoribus hisce ne imputetur, precor, inconstantia quaedam in scriptione nominum propriorum: nam quod in eis Latine scribendis propriam secutus sim viam, id nemo, opinor, vituperabit, cum simul vituperandi forent omnes fere in hoc literarum ge-

ne-

nere viri docti, quorum vix tres de hac re conveniant. Ego optimum duxi peregrina ista accommodare ad leges linguae Latinae; et in eorum gratiam, qui accuratius expressa malunt, in infimâ paginarum margine ea scripsi e consuetudine Praeceptoris. Ceterum inter scribendum non semper eâdem versatus sum diligentiâ. In rerum autem memorabilium erratorumque indicibus errores, quos commiseram ante, correxi.

❁

VITA

ABULABBASI AMEDIS,

TULONIDARUM PRIMI.

Vera est illa Sallustii vox: Imperium facile his artibus retineri, quibus initio partum sit: verum ubi pro labore desidia, pro continentiâ et aequitate lubido superbiaque invaserint, fortunam simul cum moribus immutari: ita imperium semper ad optimum quemque a minus bono transferri. Haec vero causa fuit, cur maxima imperia, ut intra breve tempus a viris magnis condita erant, ita mox fere dilaberentur: quum enim virtutis excelsae principes non multi esse soleant, rarior etiam continua successio plurium. Idem evenit in imperio Arabum: quod enim Mohammedes, sive homo fanaticus et deceptus a sese, sive callidus aliorum deceptor, at egregius princeps, condiderat; quodque Abubecer [a] et Omar Chattabi filius [b], homines iusti, temperantes et providi rerum, longe lateque protulerant: id Imperatores debiles, qui se luxui et inertiae corrumpendos dabant, quales multos id imperium tulit, haudquaquam potuerunt servare. Qui provinciarum praesules, aut alii loco insigni positi, cupidine regni flagrabant, partem sibi quisque rapere: imperatores praeclare de se actum putare, modo in eorum clientelâ se esse, novi illi principes profiterentur, vexillum et vestem, quae praefecturae signa erant, ab eis acciperent, nummos nomine insignirent atque munera mitterent, quibus, dum inertiâ et inter pellicum greges consenescerent, luxus et cupiditas sustentaretur. Quo magis mirandum, illud imperium tam diu stetisse: sed boni interdum exstiterunt imperatores, qui res collapsas aliquatenus restituebant, moderabantur prudentiâ, institutis firmabant. Tum

a Abou Becr. b Omar ibn Al Khaththab.

Tum accedit maximum vinculum, quo omnes continebantur Mohammedani, religionis communitas; ut Imperatores rerum non tantum publicarum, sed sacrarum quoque essent praefecti, ac Mohammedis in hac terrâ vicarii et haberentur, et nominarentur: Chalifae [a] enim nomen, quo vulgo appellantur, designat vicarium.

Inter eos autem, qui horum auctoritatem labefactarunt, super ceteros excelluerunt Turcae. Postquam Arabes imperium suum ita late extenderant, ut fierent tandem huic nationi confines, multa inter eos bella gerebantur variâque fortunâ: et qui hostium ab Arabibus capti erant, temporum more in servitutem redigebantur, eorumque multi adsciscebantur in Chalifarum familiam; quin eo processerunt imprudentiae, ut popularibus diffisi, peregrinis his custodiam sui concrederent, quod servili conditioni minor esse videretur cupiditas. Verum nihil unquam illis fuit funestius. Turcarum enim gens erat inculta, sed docilis; servire coacta, sed haud assueta: laboris patiens, animo forti, promta manu, audax in gerendo, artes omnes, quibus potentia paratur, in aulâ edocta, ad summos e servitio emergebat honores; et effoeminatum videns Chalifarum languorem, sed suae sibi conscia virtutis, illis inferebat terrorem, alios throno deiiciebat, imponebat alios: parere pertaesa ipsa imperitabat.

Natione Turca fuit Abulabbâsus Amedes [b], Tulonidarum et primus et princeps. Pater eius fuit Tulôn [c], e tribu Turcicâ, quae Tagargar [d] dicebatur et sedem habebat circa Lopum lacum in Bochariâ minori. Hunc bello captum Noë, Asadi filius, Samanides [e], qui tum Bocharae [f] praeerat, ad Almamônem miserat in tributo annuo, quod praeter pecuniam solvere debebat mancipiis, equis Turcicis, rebus aliis. Hoc factum est anno Arabum ducentesimo, qui est quintus decimus, vel sequens, noni Christianorum seculi. Cum autem Tulon eximiis esset animi et corporis dotibus, adeo placuit Almamoni, ut munus praefecti militum, quem Emirum Arabes vocant, in eum conferret. Cognomine Siter [g] appellabatur, quod nomen velum significat: sed causa me latet, nisi forte pudor eius et modestia designetur. Postquam viginti annos in aulâ versatus fuerat,

a Khalifa. b Aboul Abbas Ahmed. c Thouloun. d Al Thagargar.
e Nouh ibn Asad As Samani. f Bokhara. g As Sitr.

rat, Bagdadi vel Samarrae, dissentiunt enim auctores, e puellâ Turcicâ, cui Casimae [a] erat vel Haschimae [b] nomen, Amedem suscepit filium. Perhibent contra nonnulli, et Abderraman Soiutius [c] auctorem nominat Asaceridem [d], cui narraverit senex quidam Aegyptius, Amedem non Tulônis filium, sed e Maliho Turcâ et Casimâ, Tulônis puellâ, progenitum, et a Tulône ob ingenii dotes, quae in puero iam erant praeclarae, adoptatum. Nobis haec res non satis comperta est, nec magni videtur momenti. Fratrem Amedes habuit Mûsam [e], sorores Habschîam [f] et Sammânam. Quum annos natus erat fere undeviginti, Tulon diem obiit supremum: et a Motavaccele [g], qui tum imperabat, filius dignus habitus est, qui patris munere fungeretur.

Quamquam Tulonides Turca erat, educatus tamen fuerat nequaquam barbare et variâ imbutus doctrinâ: feros popularium mores exuerat et aversabatur: ingenio erat felici et acuto, animo excelso et forti, prudentiâ magnâ, moribus honestis, iustus, liberalis et valde religiosus. Praecipue operam dabat discendis traditionibus, quae feruntur Mohammedis et magni aestimantur ab illis, qui eum venerantur prophetam. Aliquoties Tarsum profectus, Ciliciae urbem, ubi celebres tum erant traditionum doctores, horum scholas frequentabat, quaeque audiverat, mandabat literis; familiaritate illic utebatur eorum, qui religioni devoti, continenter vivebant, cupiditates temperabant, res terrestres fugiebant, virtuti studebant: quorum vitam cum exprimeret et mores imitando effingeret, probitas eius in ore erat omnium, celebrabatur a piis; apud Turcas in magnâ erat auctoritate et amore, tantâque fide dignatus, ut bona quaevis et secreta ipsi committerent. Barechûchus [h], nobilis Turca, ei filiam suam in matrimonium dedit, e quâ filium Abbâsum genuit filiamque Fatimam [i].

Sed tantum postremo eum tenuit Tarsi desiderium, ut non contentus hisce peregrinationibus, mallet ibi aetatem agere. Adiit igitur Obeidallam, Iahiae filium [l], summum sub Motavaccele rerum gubernatorem, eumque rogavit, stipendium sibi assignaret, quod Tarsi accipere posset: ibi enim habitare se cupere. Voti compos profectus est, ac Tarsi aliquamdiu degit. Sed mater eius cum aegre ferret filii cari absentiam, literas ad eum dedit, quibus, ut rediret, se velle, significavit: et traditionum amor cessit pietati in matrem, quâ nihil sanctius habebat. In Oriente autem non aeque tutum et expeditum est iter facere, ac no-

a Kasim. b Haschim. c Abdor Rahman Soyouthius. d Ibn Asacer. e Mousa.
f Habschiyya. g Al Motawaccel. h Barekhoukh. i Fathima. l Obaidalla ibn Yahya.

nostris in oris: peragranda sunt loca deserta, in quibus te exitium maneat, nisi in camelis tecum vexeris aquam; et Arabes campestres, Ismaëlis progenies, vias infestant, quodque flagitiosum non putant, quos possunt, viatores spoliant. Propterea exspectavit Tulonides, donec caterva venisset iter facientium, quibuscum proficisci posset Samarram: et adfuit brevi opportunitas. Edicto vetuerat Imperator Graecorum, ne mercatores aut alii gemmas, vasa pretiosa et supellectilem ad delicias ceteram, luxusque instrumenta in Arabum regnum evehérent. Dolo igitur egit Mostaïn Billa [a], qui interea post Motavaccelis mortem et Montaseris [b], parricidae, breve imperium, regnum capessiverat, et Constantinopolin misit famulum quendam, legatum quasi ad Imperatorem, sed revera, ut clam emeret, quae ille vetuerat. Famulus iussa perfecit, et quae coëmerat, mulo imposita secum subduxit. Postquam legatio in reditu Tarsum pervenit, Amedes se illis adiunxit: nam cohors erat quingentorum fere hominum et satis magna, quâcum securus proficisceretur. In hoc autem itinere fortitudo eius inclaruit: nam quum eo venerant, ubi tutos se arbitrabantur, et agminibus separatis iter pergebant, campestres Arabes, hac opportunitate usi, in unam catervarum impetum faciunt, et hominibus tergum dantibus, impedimenta rapiunt. In his erat ille mulus Chalifae: sed ubi Amedes e nuncio, qui cum clamore accurrerat, casum istum audivit, statim equum conscendit et stricto ense in Scenitas irruit: sequuntur reliqui exemplo eius animati, acre conseritur proelium, fugantur latrones; quae abstulerant, recuperantur. Ut Amedes ad famulum, qui amisso mulo exanimatus paene fuerat, eum salvum reduxit, ille gaudio exsultare, frontem eius osculari, gratiam agere, virtutem laudare, omnes fortissimum facinus mirari, celebrare. Redux domum legatus, quae attulerat, Mostaïni exponit: quibus approbatis, ei narrat, quae accidissent, in quale periculum venissent et quanta in eo apparuisset Tulonidis virtus. Hoc audito iussit Imperator, ut famulo darentur mille denarii aurei, et, *His*, inquit, *clam illi allatis, meis verbis eum saluta et certiorem fac, nisi metuerem, ne cognitâ eius apud me gratiâ, in invidiam adducatur et pereat, summis me eum ornare velle honoribus, ad quos istiusmodi classis homines adscendere possint. Quum autem cum aliis aulam intraverit, virum mihi fac notum.* Perfecit famulus: Mostaïn Tulonidem favore amplexus

a Al Mostaïn Billah. b Al Montaser.

plexus est, multis donavit muneribus, et pellicem dedit Miasae[a] nomine, e quâ Chomarûiam[b] suscepit filium, natum anno seculi noni sexagesimo quarto; qui Arabum est ducentesimus et quinquagesimus.

Mostaïn interea Turcis displicere coepit, eoque ad regnum abdicandum coacto, Imperatorem crearunt Motazzum[c]: et quum decrevissent, ut Mostaïn Vasetum[d] ablegaretur, et custodia eius ibi crederetur homini, cui fides esset et apud illum et Turcas, quique hisce placeret, amaretur ab illo; nemo Tulonide visus est magis idoneus. Hic igitur Mostaînem sibi traditum Vasetum duxit et observantiâ, ut Principem quondam suum, colebat; iucundus erat ei socius permittebatque, ut venaretur ac libere, quo vellet, ambularet. Ne autem molesta esset praesentia sua, non ipse cum eo exire solebat, sed comitem dare scribam suum, Amedem, Mohammedis filium, qui cognomine Vasetinus appellabatur[e], et iuvenis erat linguâ facundus ac promtus ad facetias: hoc enim liberius et familiarius uti poterat. Attamen Turcae, qui cum Motazzo in gratiâ erant, Mostaînem etiamnum metuebant, quare Cabîham[f] adierunt, Imperatoris matrem, eique persuaserunt, Mostaînem esse necandum: posse hunc dolum struere Chalifae, Tulonidem illi nimis favere; filium non tutum esse, dum ille viveret. Mulier his permota rationibus, ad Amedem scribit, ut Mostaînem interficiat, et praemium proponit Vaseti praefecturam. Verum Tulonides non is erat, qui tam vile mandatum perficeret: itaque rescripsit, se id nefandum aestimare, nec unquam occisurum Chalîfam, cui fide et iureiurando esset obstrictus. Hanc ob rem magis eum venerati sunt Turcae, qui Saïdum, cubicularium, miserunt et literas dederunt ad Tulonidem, quibus iussus est Mostaînem illi tradere, ipse redire Samarram. Imperatum fecit et, advocatis iudice ac testibus publicis, Saïdo eum dedit in manus; qui hominem miserum statim in desertum abduxit, ubi constructo tabernaculo, id cum eo intravit, sed mox egressus in caput deiecit et confestim abiit. Postquam aliquantum erat profectus, Tulonides cum Amede Vasetino ad tabernaculum venit: quo sublato, en humi stratum Mostaînis cadaver. Tulonides corpus abluit et veste ferali involvit: tum solenni more pro defuncto precatus, eum sepelit et Samarram revertitur. Cum posthac ad summos dignitatis gradus adscendisset, dixisse aliquando fertur: *Promiserunt mi-*

a Miyas. b Khomarouyah. c Al Motazz. d Al Waseth.
e Ahmed ibn Mohammed Al Wasethi. f Kabihah.

mihi Turcae, si Mostaïnem necassem, se Vaseto me praefecturos: sed Deum reveritus sum neque feci, et hic mihi reddidit praefecturam Aegypti et Syriae, ac bonorum amplitudinem.

Aegyptus, Arabum provincia, variis tum parebat praefectis; alii Fostatum [a], alii Alexandria, iterum aliis aliae partes: neque ullus omnibus solus praeerat negotiis, sed quum unus exercitus dux esset, alter res civiles curabat et exigebat vectigalia. Qui autem provinciâ ab Imperatore ornati erant, non ipsi in eam proficiscebantur, sed procuratorem mittebant, qui suo nomine res publicas administraret, tributa sibi penderet et, uti Arabum mos fuit, in suggestu pro Chalifâ non minus, quam pro se, precaretur.

Anno nongentesimo sexagesimo octavo, qui ipse Arabum est ducentesimus et quinquagesimus quartus, provincias Aegyptias a Motazzo obtinuit Bakebâcus Turca, et quaesivit, quem Fostati rei militari praeficeret: quum autem Tulonidis probitas et religio ipsi esset laudata, huic commendationi obtemperavit eumque misit vicarium. Cum Amede Vasetino, familiari eius et necessario, Fostatum profectus, accepto exercitu, urbem intravit die Mercurii, quinto decimo Septembris: et annus ille dictus est quatuor Emirorum, quoniam eo duo praefecti iam mortui erant, tertius a procuratione amotus. In fabulis est, quum multi, ut novum praefectum spectarent invehentem, in tabernis ad viam sederent, coecum nescio cuius Abucabîlis [b] servum, qui vaticiniorum sibi arrogaret notitiam, a quibusdam interrogatum fuisse, quid de iam iam venturo invenisset in libris auguralibus: tum illum, quâ esset facie, praedixisse, et quadraginta ferme annos ipsum ac natos regioni praefuturos: et etiamnum loquenti supervenisse Tulonidem, et ecce talem, qualem descripserat.

Quando Tulonides Fostato praeponebatur, rem tributariam administrabat Amedes, Mohammedis filius [c], qui ab avo Modabbare vulgo nominabatur Modabbarides [d], homo avarus, exactor asper et vaferrimus. Hic nova vectigalia commentus est plurima, quae diu post remanserunt: veluti nitrum, quod natura in Aegypto abundanter suppetit, et cum aliorum usui inservit, tum a textoribus adhibetur ad telas purificandas; id igitur quum antehac omnibus in medio esset, et a quocunque, qui vellet, e lacubus peteretur, Modabbarides liberam hanc potestatem sustulit, et uti lucri aliquid ex eo in fiscum redundaret, curavit.

a Fosthath. b Abou Kabil. c Ahmed ibn Mohammed. d Ibn Modabbar.

vit. Aliud vectigal e pabulo iumentorum statuit, aliud e piscatione, similia alia. Hos reditus emolumenta et auxilia appellabat et privas eis conficiebat tabulas; in quibus tamen cum eum puderet vilis, ut habebatur, piscationum nominis, scribi iussit: tributum de fixis paxillis et tensis retibus. Ita ille in causâ fuit, ut quae in Aegypti aerarium deferebatur pecunia et antea simplex fuerat, distingueretur, et alia vocaretur vectigalis, alia menstrua. Priori nomine cognita erat, quae conferebatur e segetibus, palmis, vineis, fructibus; tum quae ab agricolis, tanquam munera, exigebantur pecorum, gallinarum et proventus agrorum: menstruae appellabantur variae species, quas, unam post alteram, praefecti iniusti novas instituerant. In primis Modabbarides Christianos vexavit, qui eum ut scelestissimum exsecrabantur, et grandem patriarchae Alexandrino templorum ac monasteriorum nomine imperavit pecuniam.

Sed quum his moribus esset, se ab invidiâ tueretur, necesse erat. Quare ex Gauriâ [a], in ipsis Indiae confiniis sitâ, centum sibi servos adscivit, qui staturâ procerâ, naturâ optimâ et magnâ erant fortitudine. Hi bene vestiti et clavis crassis armati, uncis argenteis instructis, quando domi sedebat, a dextro et sinistro cubiculi latere domino apparebant, et quum in publicum prodiret, ante eum equitabant; itaque quod amore non poterat, ut esset securus, formidine efficiebat. Cum Tulonides Fostatum intrabat, Modabbarides, hac stipatus catervâ, ut potentiam suam ostenderet, ei obviam ivit gratulatum cum Schakiro, qui cognomine Cadimus [b], id est, servus dicebatur, quod in Cabîhae, matris Motazzi, famulitio fuerat; tum tabellariorum erat praefectus, et Modabbaridis familiaris. Paullo post magna ad eum misit munera, quorum summa decem millia aureorum conficiebat: sed Tulonides, qui maiora agitabat, munera remittit. Modabbarides illis receptis, *Hi sane*, inquit, *ingentes sunt spiritus, et cuius sunt, illi nullus tractus confidi potest.* Metuere eum coepit, et aegre ferens eius vicinitatem et in eâdem provinciâ domicilium, Schakirum convenit et cum eo constituit, literis Chalifae persuadere, ut Tulonidem ex provinciâ revocaret. Hunc interea cupiditas incessit servorum, quos cum quaestore viderat, et nihil magis cupiens, quam talis hominis auctoritatem imminuere, literas ad eum dedit, quarum exemplum infra scriptum.

Tu, quem Deus gloriâ attollat, munera ad nos misisti, quibus carere pos-

a Al Gaur. b Schakir Al Khadim.

sumus: neque ii sumus, qui opes tuas, quas Deus augeat, spoliemus. quare remisimus omnia, petimusque, ut loco eorum des servos, quos tibi apparere vidi: his equidem magis, quam tu, indigeo.

Cognitis literis, exclamat Modabbarides: *Hoc alterum priori maius est: iam victus sum ab isto homine, qui opes et pecuniam remittit, viros petit.* Multa secum animo volutans haud tamen invenit, quo minus eos mitteret. Sic dignitas Modabbaridis ad Tulonidem transiit; et quum Gaurii conclave illius reliquissent, abiit cum eis reverentia. Quaestor, vindictae cupidus, ad Chalifam scripsit, quo eum adduceret, ut loco moveret Tulonidem; qui id intellexit quidem, sed suâ gratiâ fretus, et opportunitatem expectans, novisse se celat: et bene res cecidit, ut posthac videbimus.

Haud pauci quoque fuerunt, qui vi et armis imperio eius resisterent. Primus fuit Amedes Mohammedis filius, ex prosapiâ Tabatabae, qui genus duxerat ab Alio [a], Mohammedis prophetae falsi genero; cuius nepotes num ius haberent successionis imperii, magna semper fuit lis inter Mohammedanos, et multarum dissensionum fons. In Aegypto autem, et omni Africâ, magnam fuisse eorum auctoritatem, inprimis exinde cernitur, quod paullo post deletum Tulonidarum imperium, Fatimidae eo nomine, quod ab Alio genus duxissent, rerum potiti sint.

Itaque ille quoque Alides, qui cognomine Boga minor [b] appellabatur, magnam sibi factionem paraverat in terrâ, quae Barcae et Alexandriae interiacet, et antiquis nota erat nomine Marmaricae. Quum in Thebaidem cum suis secessisset, Tulonides Temimum, Hoseini filium [c], ducem mittit cum exercitu, qui illum persequatur. Committitur proelium, Alides sociis destituitur, ipse acriter pugnans cadit, caput eius portatur Fostatum.

Post duos fere menses alter prodiit ex hac gente rebellis, Ibrahimus, Mohammedis filius, Iahiae nepos [d], cui cognomen erat Ibnassufio [e]. Hic Esnam profectus, urbem Thebaidis superioris, quae Graecis Latopolis dicebatur, ferre cuncta et agere, qui resistant, occidere omnes. Fugat exercitum, quem Amedes contra eum miserat, ut lubidinem compesceret; duci, quem cepit, amputat manus et pedes, atque sic cruci suffigit. Misso exercitu altero, ad Ich-

mi-

a Ahmed ibn Mohammed ibn Abdallah ibn Ibrahim ibn Thabathaba Al Alavi. b Boga Al Alasgar
c Temim ibn Al Hosain. d Ibrahim ibn Mohammed ibn Yahya. e Ibn As Soufi.

mimum [a], oppidum, quod antiquitus nomen habuit Chemmis vel Panopolis, committitur praelium, quo copiae Ibnassufii funduntur, et multi occumbunt: cum reliquis in Oasen aufugit, in quâ per longum tempus se continet.

Tulonides interea ad maiora vocabatur: acceperat enim Samarrâ epistolam, quâ bellum parare iubebatur contra Isam Scheichidem [b], qui in Syriâ obsequium in Chalifam exuerat. Hanc autem memoriam paullo altius repetam, et quam verissime potero, paucis explicare conabor. Palaestinae provincias obtinuerat Isa Scheichides Abumûsa, nobili Schaibanis genere ortus [c], qui, quum imperandi esset cupidus, et Samarrae omnia turbis et seditionibus miscerentur, praefectus erat ipsis dominis metuendus. Chalifae Motazzo, qui a Turcis coactus fuerat abdicare imperium, et paullo post interfectus, Motadius [d] designatur successor: quo post annum quoque crudeliter necato, imperium a Turcis defertur ad Motamedum Alallam [e]. Factum hoc est ineunte anno octingentesimo septuagesimo. Inter has turbas Scheichides provinciam Damascenam occupat; septingenties et quinquagies mille aureos, quos Modabbarides, Aegypti Quaestor, in aerarium Samarram mittebat, intercipit, distribuitque inter socios; Motamedo, novo Chalifae, sacramentum non dicit et publicas pro eo preces negligit; insimulatur postremo, animum intendisse in Aegypti imperium. Motamedus cum legatione Hoseinum, unum ex ministris suis, ad Scheichidem mittit, qui pecuniam interceptam reposcat. Ille respondit, se eam impendisse in exercitum. Hoseinus qui alia adhoc mandata acceperat, Armeniam ei offert hac conditione, ut preces pro Chalifa faceret. Scheichides accipit, preces se facturum pollicetur: nam in eâ versabatur opinione, Armeniam sibi additam esse Syriae, ut in veteri liceret permanere provinciâ, novam gubernandam dare procuratori; Hoseinus contra id tantum voluerat, uti de Syriâ, quam vi occupaverat, tranquille decederet, Armeniamque acciperet, si obsequium praestaret Chalifae. Ut igitur Motamedus vidit, Isam non abire ex Syriâ, epistolâ Tulonidi mandat, ut bellum adornet contra Scheichidem, et ingentem instruat apparatum; ac simul Modabbaridem iubet, quantum vellet pecuniae, Tulonidi suppeditare. Uterque iussis obtemperant: Amedes exercitum lustrare, idoneos praeficere duces, servos Graecos et Nigritas emere, cetera, quibus opus foret,

a Ikhmim. b Isa ibn Al Schaikh. c Isa ibn Al Schaikh Abou Mousa Al Schaibani.
d Al Mohtadi. e Al Motamed Alallah.

ret, parare. Cum magnâ equitum et peditum multitudine proficiscitur, legatumque praemittit ad Scheichidem, qui eum ad obedientiam Chalifae invitet, et quod pecuniae ceperat, restituendum: superbo autem relato responso, Mûsae fratri praefecturam Fostati tradit, ipse vero castra movet in Syriam. Sed duos post menses rediit: acceperat enim in viâ ex Iracâ epistolam, quae eum certiorem redderet, Amagôrem [a] Turcam ab Imperatore Syriae esse praefectum, et cum exercitu missum, ut Isam in Armeniam cedere cogat; se posse reverti. Quum Amagôr Syriae appropinquaret, Scheichides ei obviam mittit viginti millia militum, quos ductabant Mansôr [b], eius filius, cui cognomen erat Abussabae [c], illiusque Vezîrus. Amagôr cum parvâ mille militum manu exercitum fundit, et totius potitur Syriae. Mansôr cadit in praeliô: Amagôr Veziro, quem ceperat, amputat caput, et corpus ad Damasci portam cruci affigit. Isa necessitate coactus decessit in Armeniam, eique per tredecim annos, ad mortem usque praefuit.

Tulonides ad hoc temporis idem palatium habitabat, quod qui antecesserant procuratores. Id non situm erat intra Fostati moenia, sed in eâ regione suburbanâ, quae ad aquilonem extendebatur, nomine Ascar, oppidi mediocris magnitudine, domibus, viis, foris abundans; finis a septentrione ad orientem versus mons Ieschcar [d], ubi exstructum Tulonidis templum, quod ad nostrum tempus reliquum est; ad occidentem magis pons leonum, qui dicitur, canali iniectus, qui Cahiram [e] secat. Templum istud et pons, qui incolis Cantara essiba [f] appellatur, hodie Cahirâ continentur ad meridiem, situsque eorum a Niburô, qui loca ista lustravit, notatus in tabulâ est, quâ Cahiram, Fostatum, Bulâcum, et Gîzam [g] descripsit. Dehinc aedificia austrum versus porrigebantur ad Fostatum usque. In hac itaque regione Amedes regiam habebat, quam ante centum circiter annos Salehus Alides [h] exstruxerat, et postea omnes habitaverant Aegypti principes. Sed paullatim, novissimo praesertim belli apparatu, adeo eius creverat familia, et proxumorum caterva, simul equorum multitudo, aliaeque divitiae, ut pristina domus ea non caperet amplius. Quare exploratâ planitie, quae patet ad radicem usque montis Mocattami [i], et ab ortu Fostatô et Ascari adiacet, Christianorum Iudaeorumque sepulcra, quae illic plu-

a. Amadjour. b. Mansour. c. Abous Sabba. d. Yeschcar. e. Kahirah.
f. Kautharah as Siba. g. Djizeh. h. Saleh ibn Aly. i. Al Mokaththam.

plurima erant, demoliri iubet, arcem et hippodromum aedificari. Tum ducibus, tribunis, omnibusque proxumis imperat, ut terram, quae circa erat, distribuant inter sese, et sibi quisque domos exstruant. Ita brevi haec regio aedificiis ornata est, et exstitit oppidum satis amplum, mille passuum latum, pari longitudine. Nomen inditum fuit Cataie [a], ab origine ductum: vox enim significat fundos, quos patroni, pacta conditione, clientibus gratificantur; barbare *feuda* dicuntur. Finis ab septentrione fuit collis, ab oriente Cahirae jacens, in quo postea novam arcem aedificavit Saladinus: hinc occidentem versus ad Tulonidis templum, et Ascar usque: ab oriente Mocattamus mons: a meridie ad Fostâtum pertinct, Ascar tangit ab occidente, quocum unam quasi urbem efficit, ut posthac quoque Ascaris nomen interierit, et Cataie tantum ac Fostâtum nominarentur. Quum maxime florebat, inerant, praeter hortos, ingens privatorum aedificiorum numerus, in his magnifica multa; templa splendida, balnea, molae aquariae, fornaces, fora, alia plurima. Palatio, quod Amedes habitabat, superbo et amplo, hippodromum, ut supra memoravimus, addidit spatiosum, in quo eques clavae pilaeque lusu se exercere solebat. Is multas portas habebat: supra unam harum conclave erat, e quo prospectus patebat ad Nilum, Fostâti portam, et omnes partes, valde amoenus. In hoc Tulonides sedere amabat nocte, quae diem festum praecederet, ut intueretur agitationem et praeparationem lictorum; et si cui quidquam deësse animadverteret, abunde ei dari curabat pecuniae, quâ emeret, quibus opus haberet, et habitum compararet elegantiorem. Hippodromus, qui Arabice *meidan* appellatur, nomen addidit omni castello. De quo pluribus non dicemus, quoniam multa, ut in talibus fit, obscura sunt, aut parvi momenti; et Macrizii locum, quo Cataie et Ascar descripsit, Gallicâ linguâ iam edidit Stephanus Quatremerius. Quae diximus, pro necessitudine sufficere videntur.

Ita continuo creverunt Amedis opes, divitiae, et familiarium numerus: et quum aedificationem istam fama divulgasset, Amâgor, novus Syriae praefectus, seu metu, seu invidiâ ductus, ad Chalifam scriptitavit, quo Tulonidi magistratus abdicaretur: *tantas Amedi opes esse paratas, quantae non fuissent Scheichidi: illum etiam magis timendum, quod maiore, quam hicce, praestet virtute*. Idem Modabbarides et Schakirus egerunt: et effecere tandem sociâ operâ,

a Al Kathayi.

râ, ut Tulonides iuberetur Samarram venire, et provinciam procuratori, quem eligeret, dare administrandam. Erant autem ei in Iracâ exploratores, qui quicquid ageretur, quod ad se pertineret, nunciarent. E quibus quum cognoverat, quae caussa esset tantae rerum conversionis, Bagdadum misit Amedem Vasetensem, scribam suum et amicum, cum grandi pecuniâ, equis, mulis et muneribus omnis generis, qui dando et flagitando Vezîri favorem conciliaret, efficeretque, ut liberi et uxores, quae Tulonides Samarrae reliquerat, ad illum transmitterentur. Id cessit ex voto: Vezîrus, donis permotus, a Chalifâ impetravit, ut Tulonidi provincia prorogaretur, uxoresque cum liberis dimitterentur. Hae cum catervâ peregrinatorum Iracensium, qui Meccam visitatum ibant ex religione, profectae sunt; illinc cum Aegyptiis redierunt Fostatum. Hac viâ venisse videntur, quod Syriam, cui Amâgor praeerat, non tutam rebantur. Vezîrus adhoc pretiosa Tulonidi munera misit, quîs testaretur benevolentiam. Hic ita ex insidiis, quas struxerant inimici, servatus, et fortunâ secundâ ad gratum in Deum animum motus, maximas fecit in pauperes largitiones. Dehinc usus amicitiae Vezîri opportunitate, eum rogavit, epistolas, quas calumniatores ad Chalifam scripserant, ad se Fostatum mitteret. quod facile impetravit. Invenit autem in illis Schakiri literas, in quibus scriptum erat, *Tulonidem velle sibi vindicare Aegyptum, et a Chalifâ deficere.* Iracundiam, quâ his cognitis inflammabatur, celat quantum potest: sed Schakirum iubet, quod Arabibus habetur dedecori, peditem venire in arcem. Ibi quae commiserat, exprobrat, horrendam imaginem poenae, quam daturus est, proponit, et dat trahendum ad supplicium: nec tamen sumit. Sed tantus horror Schakirum incesserat, et adeo corpus animumque agitaverat mortis formido, atque prorsus peremerat, ut palam esset, eum lethale quid passum. Quod ubi Tulonides animadvertit, et quod intenderat, se consequutum iam esse, culpam naturae, quam sibi attribuere, satius putans, illum propere domum redire iubet equitem. Ut sole inclinante mortuus est, Amedes testes publicos misit, qui Schakirum testificarentur non vi necatum esse, sed concessisse naturae Ita hoc socio Modabbaridem spoliavit, prorsus intentus, quo modo et illum removeat.

Interim magna eius imperio est addita pars. Bakebâcus enim, qui provincias Aegyptias obtinuerat, et Fostatum Tulonidi curandum dederat, a Motadio, nescio quam ob caussam, ultimo affectus fuerat supplicio, et Chalifa Aegyptum tradiderat Barechucho, Amedis socero, qui genero provinciam prorogavit.

Dein

Dein autem reliquis quoque eum ornavit Aegypti provinciis, et literas dedit ad Ishacum Dinari filium [a], qui Alexandrinam procurabat, quibus imperabatur, illam Tulonidi cedere. Hic eo profectus, praefecturam ab Ishaco accepit, sed dedit tamen ei procurationem. Verum non multum post iterum venit Alexandriam, illumque munere movet, quod ad Taflagum [b] quemdam, praefectum satellitum defert. Post mensem redit, et iratus Mûsae fratri suo, eum removet ministerio, quo fungebatur, et vitam privatam agere iubet. Quid autem deliquerit, aut quale munus obierit, memoriae proditum non est. Haec gesta sunt anno octingentesimo septuagesimo et sequente, quam Christus natus erat. Anno post, mense Iulio obiit Barechuchus, et quas provincias hucusque procurator administraverat, ipse nunc obtinuit Amedes. Sed redimus ad exponendum de certamine, quod illi cum Modabbaride erat.

Sublato Schakiro, ad Chalifam literas dedit, quîs eum rogaret, ut Modabbarides removeretur quaesturâ, et sufficeretur Hilal, nescio quis. Quo impetrato, nam in maximâ tum gratiâ erat, Modabbaridem prehendit et domi suae in custodiâ tenet. Sed ubi cognovit, Modabbaridis fratrem quaesturam gerere Bagdadi, huius odium metuens, illum e vinculis eximit, et veteri praeponit muneri. At ipse fessus suâ in Aegypto fortunâ, et nunc maxime Tulonidem reformidans, postquam omnibus praefectus erat provinciis, fratrem literis datis rogavit, operam daret, ut quanto ocius Aegyptum relinquere posset, et provincias Palaestinam, Iordaniam, Damascenamque obtineret. Interea reddita erat Tulonidi Chalifae epistola, quâ admonebatur, ut tributum penderet. Rescripsit Amedes, *id sese non posse, nam quaesturam ab alio geri.* Tum Motamidus Nafisum aulicum misit, qui illi hunc magistratum mandaret, et insuper provinciâ ornaret Thoguriâ [c], quae pars Syriae est, Asiae minori contermina. Hanc procurandam dat Tachschae cuidam, quaesturam Abuaiubo Amedi, Mohammedis filiô, Schegâi nepoti [d], Vezîri sobrino. Modabbarides ex Aegypto abiit: sed antea tamen, quum invidia cesserat, amicitiam iunxit cum Amede, et matrimonium pactus est inter filiam suam et Chomarûiam, illius natum. Tum omnibus praediis, quae in Aegypto habebat, donatis Tulonidi, ab hoc deductus, proficiscitur.

Quam

a Ishak ibn Dinar. b Thafladj. c Al Tsogour. d Abou Ayyoub Ahmed ibn Mohammed ibn Schedja.

Quam primum Amedi cura aerarii commissa erat, puduit eum emolumentorum auxiliorumque, quae nova vectigalia, ut supra memoravimus, commentus fuerat Modabbarides. Literis per provincias datis, ista abrogavit omnia; legibusque portitores arcuit a vexandis villicis, praefectosque ab exigendis tributis istiusmodi sordidis. Quum hoc faciundi consilium ceperat, consuluit aliquando Abdallam, Dasumae[a] filium, scribam Abuäiubi quaestoris, et consiliorum conscium, hominem callidum, avarum, temperatum in bene faciendo; segnem ad omnem pietatem. Cui fidem Principis postulanti, *vim abfuturam, si quod in animo esset, eloquatur*, respondet Tulonides: *Fidem tibi dedit Deus optimus, maximus.* Tum ille, *Vita*, inquit, *praesens et futura, duae sunt aemulae: sapiens est ille, qui non commiscet unam alteri: sed socors contra, qui utramque confundit; quae agat, peribunt, eiusque labor irritus erit. Facinora Principis, quem Deus adiuvet, bona sunt, et talis praefectura, qualis proborum; atque longe differt ab eis, qui bona invadunt, quae non sunt iuris eorum. Etiamsi autem vel maxime per omnem, quam vivimus vitam, confidere possemus divino auxilio; nihil tamen nobis videretur molestius, quam in hac vitâ caducâ animum vexare studio futurae. Nunc vero vitâ homo est brevi, calamitatibus multis, pronus in miserias; quin negligit, quod possidet, atque dum manibus tenet, dilabi sinit: et evenit saepe, uti quae sibi interdixerat, in posterorum commodum cedant, et quae sibi sacrosancta duxerat, alio evadant in copiam. Iam vero, collata fuerunt ad Principem, quem Deus adiuvet, per emolumenta ista, quae nunc abrogare constituit, quotannis ex solo Fostato, praeter provincias reliquas, aureorum millia centum; et si fundos procerum portitorumque hoc anno, quoniam siccitate laborant, et postulat res, parte vectigalium levat, opes regionis augescent et admodum amplificabuntur; itaque posthac maiora fient emolumenta. Hoc pacto Princeps, quem Deus adiuvet, statum suum firmabit; haec via est rerum terrestrium bene gerundarum; hae leges sunt imperii et administrationis: ad quod vero cunque aliud vertat se Princeps, quem Deus adiuvet, id fortunam illius affliget. Hoc meum est consilium: at Princeps, quem Deus adiuvet, multo me*

a Abdallah ibn Dasoumah.

me melius, quid agendum sit, perspicit; faciatque, quod sibi videatur.

Talibus dictis callidis et vafris Amedis animum ad dubitationem impellit; respondet, *si Deo placeat summo, sese id perpensurum esse.* Sed eâ nocte, quum multa de Dasumadis oratione cogitantem diu insomnia tenuisset, tandem, ut fessum animum solet, somnus capit; at quae vigilantem fatigaverat cura, ab dormiente non abscedit. Somnianti se obtulit unus ex piis amicis, quos Tarsi habebat; qui eum ita affatus est. *Quod tibi consilium dedit ille, quem consulueras de emolumentis eorumque remissione, eius exitus nequit laudari: ne id accipias; qui Deo optimo maximo aliquid relinquit, illum Deus remunerat; propositum perage.* Quum dies illuxerat, epistolis in omnes provincias missis, illud mandavit, quod supra diximus. Dein ad sese Dasumadem advocat, atque de re certiorem facit: qui ubi audivit, quod monuerat, spretum esse: *Consilium ergo*, inquit, *tibi dederunt duo homines, alter dum vigilabas, alter mortuus et in somnio: at vivo propior es, eiusque amori tutius fidere potes.* Tum ille, *Mitte hoc*, inquit, *haud sequar enim consilium tuum.* Postridie mane venatum profectus est in Thebaidem; et ubi profundo se immiserant deserto, repente in arenam sidit pes anterior equi servi cuiusdam, ut humi deturbaretur. Amedes, miraculo rei intentus, foramen animadvertit; quo accuratius inspecto, magnam invenit pecuniae vim, cuius summa erat millies mille aureorum. Domum reversus arcessit Dasumadem, et nummos ostendens, *Quam pravus*, inquit, *amicus tu es consultorque; haec prima est prosperitas, quae redundavit ex consilio mortui illius in somnio. Nisi fidem interposuissem, te capite mulctarem.* Tum mutatus est eius in illum animus, et imminutus favor: et quum postea delatum erat, illum opprimere homines, et misere vexare, prehensum, et omnibus, quae habebat, spoliatum, in carcerem coniicit, ubi mortuus est.

Hoc thesauro reperto, cuius fama tum orientem percrebruit, Amedes ad Motamedum scripsit, quo de invento certiorem faceret rogaretque, potestatem sibi faceret, id in pios aut alios usus impendendi pro arbitrio. Quo concesso, ex pecuniâ istâ exstruxit delubrum, aquaeductum, fontem et valetudinarium: quae superabat, in egenos distribuit omnem.

Delubrum, quod hic significamus, situm fuit in altissimo Mocattami montis cacumine, quod est ad orientem ab arce montis, et antea Tennur Pharao-

nis

nis [a] appellabatur. Nomen significat *fornacem Pharaonis*, et inditum erat a more, qui olim obtinuerat, quando Pharaones foras evehebantur, aut Heliopoli abibant, quod tum imperii caput erat, ut ignis ibi locorum accenderetur, qui hominibus indicio esset, ut quae regi in viâ usui forent, pararent. Posthac locus desertus fuit et nulli usui: aedificium tamen, in quo antea ignis alebatur, ad Tulonidis tempus remansit; cuius dux aliquis, nomine Vasifus Catirmir [b], suspicatus, thesaurum subter conditum latere, illud destruxit et locum undique effodit: sed operam perdidit, nec quidquam reperit. Fama tunc temporis erat, Iudam, Iacobi patriarchae filium, postquam cum fratribus ad Iosephum venerat, hique, uti in Alcorane narratur, calice in Beniamini sacco invento, ad patrem redierant, remansisse in Aegypto, et in illo cacumine commoratum esse; nam sese convertisse ad ignem, qui ibi splendesceret. Quam loci sanctitatem quum Tulonides acceperat, exeunte anno octingentesimo septuagesimo altero, aut sequentis initio, ibi delubrum aedificari iussit cum turri, et cisternam addi, ne aquae penuria foret. Aedes antiquo nomine dicta est Tennur.

Circa idem tempus, ut videtur, confectus est aquaeductus cum fonte. Occasio huiusmodi fuit. Quum aliquando Tulonides, praemissis satellitibus, solus praetervehebatur delubrum, quod nomine Acdâm [c] cognitum erat, et situm in eâ Carafae regione, quae Moâfir dicitur; ardenter sitiebat, et sartore quodam, qui illic habitabat, animadverso, *Heus sartor*, inquit, *habesne aquam*? Tum ille, *Habeo*, et producto aquae urceo, *Bibe*, inquit, *sed ne impensius*. Ridet Amedes, et impensius bibens maximam aquae partem exhaurit; tum urceum reddens, *Nonne tu*, inquit, *quum potum dabas, dixisti, Ne impensius?* Respondet sartor: *Dixi, princeps, quem Deus magnum reddat; locus hic noster secretus est, et sarcire debeo totam hebdomadem, ut tantum nummorum colligam, quanto unicum aquae utrem emere possim.* Tum Amedes, *Aqua igitur hic apud vos desideratur?* et quum sartor *ita esse* dixerat, abiit: sed ut primum domum venit, sartorem istum propere ad se iubet adduci. Qui quum advenerat, *Abi*, inquit, *cum geometris, ut apud te locum metiantur aquaeductui, cui aquas immittant; et denarios hos mille accipe aureos, quibus initium facias impensarum.* Posthac

hac

a Tennour Firoun. b Wasif Kathirmir. c Akdam.

hac sartori quoque mense decem aureos dedit, mandavitque, ut nunciaret, quando aqua immissa foret. Quum opere absoluto, nuncius venerat, Amedes eum veste regiâ ornatum publice circumvehi iubet, aedes ipsi mercatur, quas habitet, atque amplum adsignat stipendium.

Suaserant ei, ut aquam derivaret ex fonte, qui illic erat, et Abuchalid [a] nominabatur: sed recusaverat dixeratque: *Iste fons numquam alio, quam Abuchalidis nomine appellabitur: ipse alium effodiam puteum.* Tum id fieri iussit paullo magis ad orientem. Opus mandaverat Christiano cuidam, geometrae peritissimo, qui nec defuit officio: nam fons erat adeo perfectus, ut nullus usquam alius exstiterit, qui cum eo posset comparari. Quum is vespere quodam ad Amedem venerat, hic ei dixit: *Quando omnia absolveris, certiorem me fac, ut spectatum eamus.* Tum ille: *Princeps cras eo pergat: absolvimus enim.* Ut autem rediit, locum animadvertit, qui adhuc calce obducendus erat et quatuor egebat lateribus: quod vitium, ne quid Princeps imperfectum inveniret, confestim reparavit. Postridie Amedes venit, et omnibus inspectis probatisque, dum forte in loco consistit, qui pridie calce oblitus erat; pes equi mergitur per gypsum recentem, et ipse decidit pronus. Existimans, eas insidias esse, quas Christianus sibi struxerat, hominem imperat vestibus exui, et quingentis verberibus caesum in vincula duci. Tot scilicet miser exspectaverat aureos.

Accepit aliquando Tulonides, esse qui undam aquaeductûs non dulcem haberent: (et qui opus, quod Princeps iusserit, aut quidquid ab Rege profectum fuerit, audeat improbare, is laesae maiestatis arcessitur in oriente, et ubicunque tyranni imperium tenent). Imprimis quidam iuris Mohammedani consultus, Mohammed, Abdallae filius, Abdelhacemi nepos [b], hac in re nonnihil imprudentior fuerat. Venit igitur ad eum noctu quadam aliquis servorum Tulonidis, qui secum ire iubet: imperasse Principem. Terrore et metu perculsus, equo conscenso, proficiscitur. Sed ubi famulus de viâ, quâ ad arcem ibant, deflexit, *Heus*, inquit, *quo me ducis?* Tum ille, *In campum: ibi est Princeps.* Quod quum audivit, in campum se duci, ubi aquaeductus erat, certo certius ratus, se perditum iri, exclamat, *Alla, Alla;* (nam ita Deum appellant) *vae mihi seni grandaevo, infirmo, annis confecto. Dic, quaeso, quid mihi vult Prin-*

a Abi Khaled. b Mohammed ibn Abdolla ibn Abdol Hacem.

Princeps. Servus eius misertus, *Cave*, inquit, *ne quid mali de aquaeductu dicas.* Paullatim propius accedere, campum taedis illuminatum videre, Tulonidem pro portâ aquaeductûs equitantem, praeferri cereum: maxime angi. Salutem dat Principi: ille non reddit; magis metuere. Tandem formido dolum invenit. *Heu, Princeps*, inquit, *servus me properare iussit, et molestiam fecit; vehementer sitio.* Veniâ bibendi concessâ, servi voluerunt ei potum dare: sed ille: *Ipsemet mihi sumam.* Tum aquam hausit, Amede spectante; et quum immoderate biberat, *Potandum*, inquit, *det tibi, Princeps, Deus ex fluminibus paradisi: nam tu nunc rigasti et explesti omnino; nec equidem scio, quid potissimum laudem in hoc aquaeductu; utrum dulcedinem et frigus aquarum, an limpiditatem et gratum odorem.* Tulonides eum mirabundus intueri: deinde, *Indigeo*, inquit, *operae tuae ad negotium quoddam; nunc vero non est tempus. Reducite eum.* In reditu famulo, *Rem acu tetigisti*, dicenti Mohammed: *Largiter te remuneret Deus: nisi tu fuisses, periissem profecto.* Quod reliquum est, hic aquaeductus nominatus est postea, a formae similitudine, *pontes Tulonidis*, qui tempore Macrizii partim adhuc supererant. Impendit in eos quadraginta aureorum millia.

Sed redimus ad exponendum de reliquis, quae hisce diebus acciderunt. Ibnassufius Alides, quem supra memoravimus, iterum cum magnâ manu ex Oasibus prodiit, et contendit Hermopolin, quod oppidum Arabibus Oschmuneini [a] appellatur. Amedes contra eum exercitum expedivit, duce Abulgaibide [b] quodam; qui illum invenit profectum esse ut cum Omaride [c] pugnam committeret, qui, uti iamiam narraturi sumus, imperium agitabat in Nubiae finibus. Acri Omaridem inter et Alidem conserto proelio, hicce funditur et aufugit Syenem, ubi aliquamdiu mansit, et multas cecidit palmas. Tulonides denuo mittit exercitum, qui Alidem quaereret. Hic maioribus cedit viribus, et desertus a sociis, Aidabâ, ubi portus est ad sinum Arabicum, Meccam traiicit. At praefectus urbis, ut rem intellexit, hominem captum et vinctum ad Amedem mittit, qui per urbem circumduci iubet, et aliquamdiu in vinculis tenet. Posthac dimissus Medinam abiit, ibique ad mortem usque habitavit.

Nunc pauca de Omaride. Abdelhamid, Abdallae filius, Abdelazizi nepos, Ab-

a Al Oschmounain. b Ibn Abil Gaib. c Al Omary.

Abdallae pronepos, Chalifae Omaris Chattabidis abnepos[a], vulgo nominatus Abuäbderraman Omarides[b], Arabs erat Medinensis, qui Fostati et Kirvane[c] iuris prudentiâ, literis humanioribus, poësi, astronomiâ et philosophiâ imbutus, tempore Amedis aliquot Arabum tribubus princeps praeerat in finibus Nubarum. Cum his bella gessit varia, et cum aliis tribubus Arabicis. In regione, quae ibi locorum ad mare rubrum extenditur, habitabant Blemmyes, qui Arabibus Begae[d] appellantur, natione Barbari, moribus feris, victum ex praedâ quaerentes. Quum Mohammedani Fostatenses in sacrario subdiali, quod prope aberat ab urbe, diebus festis precabantur, Blemmyes, opportunitate allecti, consueverant, dromadibus vecti in Arabes, religioni tantum intentos, incursionem facere, et inclusos trucidare, aut captos abducere. Omarides, religionis vindicandae desiderio accensus, hostes ulcisci constituit. Quum anno octingentesimo septuagesimo more suo egerant, et Arabibus in sacrario necatis, incolumes cum magnâ rapinâ abierant; ille in Thebaide insidiis collocatis, quâ viâ redire debebant, praetereuntes adoritur, plurimos caedit, in his Avarem[e], latronum principem. Dehinc saepius illorum regionem invasit, eosque tandem ad id redegit angustiarum, ut tributum pendere cogerentur, quod nemini solverant antea. Ratio eius et mores probabantur omnibus; et pacem colebat cum Nubis, donec perfide in eum egerunt in Marisiâ[f], regione Nubiae Aegypto conterminâ. Tum vero infensus eos invadere, terram vastare, ingentem hominum multitudinem captam abripere: quo factum ut socii eius tot possiderent mancipia, ut obsonium ab oleariis et olitoribus Nubâ servô aut servâ emerent. Quum ad Tulonidem fama horum pervenerat, et erant qui potentiam illius metuendam dicerent, magnas copias Syenem misit duce Schabâ, Harcami filio, Babecio[g], ut ibi praesidium foret, si quid tentaret Omarides. Evenit aliquando, uti hic, cedens Zachariae, regi Nubarum, arcem occuparet, Artalmam nomine, quae iter unius diei ab Syene aberat. Schaba, cupidus pugnae, procedit obviam. Quum prope venerat, Abuäbderraman, qui non amplius mille et ducentos milites habebat, dixit ad suos: *Ne festinate concurrere: hicce homo peregrinus est; ipse volo cum eo colloqui, ut cognoscam, cum quali duce mihi pu-*

a Abdol Hamid ibn Abdolla ibn Abdol Aziz ibn Abdolla ibn Omar ibn Al Khaththab.
b Abou Abdor Rahman Al Omary. c Cairwan. d Al Bedjah. e Al Awar.
f Al Maris. g Schabah ibn Harcam Al Babeky.

pugnandum sit. Tum extra ordines progressus, primum hostium agmen appellat: *Velle se cum principe colloquium habere, antequam praelium ineatur.* Consentit Schaba: imperatores utrimque ante aciem eo intervallo sese sistunt, ut voces intelligi possint. Tum Omarides: *Profecto*, inquit, *Princeps Amedes Tulonis filius non bene rationem meam cognovit, et falsam illi iniecerunt de me suspicionem. Non veni animo hostili: nam nemo Moslemorum aut sociorum ullam a me expertus est noxam: contra ea uti bellum sacrum gererem contra hostes religionis; et Deo auxiliante, victoriam reportavi. Ne nunc properes pugnam inire; sed sine me ad Principem scribere, quo eum de ratione meâ certiorem faciam. Tu quoque ad eum literas des: et si Princeps excusationem meam accipiat, et reverti te iubeat, discedes, erisque laudandus; sin contra, obedies, et culpâ vacabis.* Schaba negare: *rem acie decernendam esse.* Omarides illi convicia facit, et in ordines se recipiens, *Iste homo*, inquit, *est fatuus, stultus; permitto vobis adoriri.* Attamen, diffidens paucitate copiarum, alterâ vice ad eum scribit, quo conveniat de induciis. Quum Schaba postulaverat, ut ipse praesens veniret; ille consensit, sed petiit, ut prius Syenem rediret et obsides daret. Schaba recusat, et iubet pugnam conserere. Concurrunt utrimque; magnâ vi certant: Omarides hostem profligat, in fugam fundit turpissimam, omnibus impedimentis potitur, ut socii ex inopiâ repente victum et vestitum abunde haberent. Quoniam metuebat, ne Zacharias, dum milites contra Schabam pugnent, aliquid tentaturus esset a tergo, exercitum in duas dispertiverat cohortes, quarum altera Nubis foret adversa: sed Rex proelio se non immiscuit. Ceterum Schaba fugâ pervenit Fostatum. Quum Tulonidi de fortunâ adversâ narraverat, ille: *Iam vero*, inquit, *tu mihi illius loco censeris. Ratio tua hac in re nec aequa fuit, nec prudens. Debueras consentire induciis, meque de rebus hominis istius certiorem facere, uti quae visa forent, mandarem. Nunc autem victor exstitit iniustitiâ tuâ.* Ex hoc tempore hominem neglexit, eique desiit favere. Omarides varia cum tribubus Arabicis et Begis negotia habuit, quibus non immorabimur. Hoc unum addamus. Quum regio ista adeo incolis esset repleta, ut sexaginta iumentorum millia adhiberentur, quae annonam Syene apportarent, praeter eam, quae Clysmate missa navibus in portum Aidabae veniebat; Amedes odio, quo tum Omaridem habebat, evectionem frumenti prohibuit. Sed post-

quam

quam hic scripserat, sese centies mille militibus imperare, edictum abrogavit. Tandem Mohammed Haronis filius [a], unus principum tribus Arabicae, quae Modar appellabatur, Omaridi nescio quâ de caussâ infensus, eius vitae insidias posuit. Id processit, et copiis eius dissipatis, omnes lites inter tribus compositae sunt. Duo servi, qui caput Fostatum ad Tulonidem portabant, ei dixerunt, sese in Omaridis servitio fuisse, et ipsos eum trucidavisse. Amedes aliquot venire iubet Thebaidis incolas, qui vivum bene cognoverant. Hi quum, illum ipsum esse, affirmaverant, ex servis quaesivit, *Num herus male eos habuisset?* Quo negato: *Igiturne iniustus in alios fuit, ut merito eum occideretis?* Postquam neque id caussae fuisse significaverant, interrogati, *Quid tandem ipsos ad hoc facinus adegisset*, responderunt, se ita studuisse apud eum in gratiam venire. Tum ille: *At tale delictum*, inquit, *non nisi Dei et meam vobis conciliat indignationem.* Illico verberibus caesis et in crucem actis iubet caput avelli; Omaridis contra ablutum et conditum sepeliri. Sed haec hactenus.

Initio anni octingentesimi septuagesimi tertii canalem Alexandriae, qui obstructus fuerat, denuo effodi iussit et mundari. Eodem anno cum Abuaïubo, Quaestore, et Baccâre, Coteibae filio [b], Iudice, in insulam Raudam [c] profectus, quae in Nilo est iuxta Fostatum, nilometrum ibi reparandum mandat. Sumtus constiterunt denariis mille aureis. Quaestor iste, qui ibi remanserat, post paullo novum exstruxit in navali, quod in insula erat aedificandis navibus longis. Sed Macrizii aetate praeter vestigium loci nihil supererat. Anno inclinante ad finem, Amedes Alexandriam tetendit, et praefecturâ huius provinciae Abbaso, filio natu maximo, datâ, post paullo rediit.

Post aliquot menses novus iterum prodit rebellis, Aburuë [d] nomine, qui antehac in Ibnassufii Alidis fuerat societate. Hic magnâ ad sese allectâ factione, vias incursionibus et latrociniis infestas reddebat. Exercitu a Tulonide misso, ille cum suis se continebat in terrâ plenâ rimarum, quae tectae stramento, nam ibi seges steterat haud ita pridem desecta, oculorum obtutum prorsus fugiebant. Ut exercitus impetum fecerat, illi fugam simulant, sequuntur milites. Tum vero equorum crura in fissuras incidere, equites deturbari, prolabi; Aburuës socii consistere, vertere, in consternatos irruere; terga caedere, plurimos vulnerare, obtruncare; pauci effugere. Hac clade acceptâ, Tulonides binas expedi-

vit

a Mohammed ibn Haroun. c Baccar ibn Kotaibah. c Al Raudhah. d Abou Rouh.

vit cohortes, unam quae ad viam in Oases intenta et infesta specularetur, si forte illuc aufugere vellet; alteram, quae Aburuëm consectaretur. Quem cum assecuti erant, in simili, atque antea, loco versantem, casu priorum prudentiores facti, a pugnâ abstinuerunt, eumque in locum aequum, quo equis uti possent, elicere tentarunt. Id ut processit, commissum proelium; Aburuë inferior, ut praevisum erat, cum sociis in Oases salutem quaerere: sed repente alterâ cohorte ex insidiis in latus irruente, illi vitam deprecati deditionem faciunt.

Eodem circiter tempore Amedes pharum prope Alexandriam, quod unum fuit e septem mundi miraculis, reparari iubet, et tholum, qui in summâ fuerat, sed tempestatibus destructum, instaurari. Pharus tunc alta erat pedes ferme quingentos.

Post annum fere ab Amede defecerunt Barcaei, hortatore et duce principe quodam viro, cui nomen erat Mohammedis, filii Farabi, Ferganii [a]. Dux contra seditiosos missus est Lulôes [b], qui urbem oppugnavit et cepit. Principes rebellionis poenas dederunt. Hac victoriâ omnis regio Barca sub Tulonidis redacta fuit imperium. Reliqua Africa septentrionalis partim parebat Aglabidis, quorum Kirvan caput erat, partim Edrisidis, qui Fessam imperii sedem habuere.

Circa id tempus Amedes aedificandum curavit valetudinarium, quod supra memoravimus, in regione Ascare. Antehac nullum erat Fostati. Duo adiunxit balnea, unum viris, alterum feminis. Sancivit quoque, ne quis in eo curaretur aut miles aut mancipium. Ne autem sumtibus quotidianis pecunia deficeret, aliquot ei dicavit aedificia forumque servorum, ex quibus reditus illis suppeditarent. Summa eorum, quae in valetudinarii exstructionem impendit, et huic, fontique, ac templo montano dicavit, sexaginta constitit aureorum millibus. Aegroti summâ ibi diligentiâ curabantur. Ipse quoque die Veneris spectatum veniebat apothecas, medicamenta, quae erant in iis, et medicos, atque obiens aegros, reliquosque infirmos et dementes, qui vincti tenebantur, visitabat. Quum aliquando ad dementes venerat, eosque contemplabatur, eum inclamasse fertur unus ex illis: *Heus Princeps, ausculta voci meae: non ego sum amens; simulavi duntaxat. Quam autem cuperem malum Punicum habe-*

a Mohammed ibn Farab Al Fergani. b Loulou.

bere, *eorum*, *quae sunt*, *maximum.* Postquam Amedes propere dari iusserat, illum valde laetatum id manu agitavisse et iactasse, atque tandem, dum Princeps haud satis attenderet, magnâ vi eius pectus petiisse. Malum vestibus allisum disrumpebatur; nisi hae autem fuissent, ipsum pectus laesisset.

Ab hoc tempore gravem Tulonides nactus est inimicum fratrem Motamedis, cui nomen erat Abuämedis Talhae Movaffecis, filii Motavaccelis [a], hominem strenuum, sed imperandi cupidissimum. Sextum iam annum bellum gerebatur cum Zingis [b], populo originis, ut narrant, Aethiopicae, qui per Arabiam imperium Mohammedanum invaserant, et fixis circa Basram in primis et Cufam [c] tentoriis, multas subegerant regiones, diripuerant alias, omnia formidine et terrore oppleverant. Horum dux et princeps proavum mentiebatur Alium, Mohammedis generum, atque hoc nomine non paucos ex Mohammedanis ad partes suas attraxerat. Initio belli Motamed fratrem, quem decessor, Chalifa Motadius, Meccam ablegaverat, illinc ad sese arcessierat, mandaveratque exercitum contra barbaros istos ductandum. Sed Motamed homo erat totus deditus voluptati, venationi et ludo; desidiam in gynaeconitide, quam negotia regni malebat: qua ratione opes viresque imperii pessum ibant, res publicae male administrabantur, provinciarum rectores undique seditiones movebant. Quo autem magis lubidini vacare posset, anno octingentesimo septuagesimo quarto, convocato imperii senatu, primum Chalifatus haeredem scripsit Gafarem [d], filium suum adhuc puerum, eique cognomen dedit Mofauëdis Ilallae [e]; secundum, post filii mortem, Movaffecem fratrem, cognomine Nasirledinallae [f]. Constituit porro, ut se vivente filius praeësset provinciis occidentalibus, Africae, Aegypto, Syriae, Mesopotamiae, Armeniae, aliisque; orientalibus frater, Arabiae, Persidi, vicinisque. Utrique duo vexilla, nigrum et album, donavit, atque sancivit, si Gafare adhuc annis minore fato abriperetur, ut sibi frater Movaffec, huic in imperium Gafar succederet. Erat postremo in conditionibus, ne alter alterius se immisceret negotiis; et quidquid eventurum foret in alterutrius imperio, ut pecunia ad id sumeretur ex aerario proprio. Perscriptis conditionibus, et utroque ad iusiurandum adacto, tabula deposita fuit in communi Mohammedano-

rum

a Abou Ahmed Thalhah Al Mowaffek ibn Al Motawaccel. b Zindj. c Coufah. d Djafar.
e Al Mofauwedh ila Allah. f Al Nasir ledin Allah.

rum sacrario, quod Meccae est et Caba nominatur. Tum quod Mofauëd ob pueritiam impar erat obeundis negotiis, procurationem provinciarum, quas ille obtinuerat, Musae Bogae filio [a] dedit, homini fortissimo et audaci columinique imperii, qui scribam creavit Obeidallam, Soleimanis filium, Vahabi nepotem [b]. Movaffec autem solus curabat partem orientalem. Sed quum bellum, quod cum Zingis gerebat, grave esset, diuturnum ac sumtuosum, nec praefecti provinciarum, quae eius imperio suberant, tributa, quae quotannis debebant, varia caussantes, rite persolverent; necessitate coactus est sese ad Tulonidem convertere, et datis literis petere, ut sibi pecuniam suppeditaret ad bellum cum Zingis: esse quidem Aegyptum in ditione Mofauëdis, sed summâ se urgeri inopiâ, et salutem agi totius imperii Literas perferendas dedit Tachriro [c], qui aulicus fuerat Motavaccelis, et illi quoque mandavit, ut acciperet et apportaret quantum posset. Tum fratrem adiit, ut suam is adderet auctoritatem. Facturum se promisit. Sed fratres iam tum nutriebant simultatum nonnihil. Movaffec indignabatur, quod homo nihili, et luxui tantum serviens regnabat, et ipse ardens imperii summi desiderio, id fratri invidebat. Odium vires sumebat, postquam secundus demum post Gafarem scriptus est haeres Motamed hoc animadverterat, fratremque timebat. Epistolam ergo ad Tulonidem misit, quâ eum iubebat pecuniam, quam Movaffec petierat, dare et cum tributo, quod annuum nummis, chlamydibus, mancipiisque et aliis rebus solvere tenebatur ex lege, transmittere: sed clam addidit alteram, in qua ita scriptum erat: *Movaffec misit solummodo ad te Tachrirum, ut res tuas exploret atque scrutetur: literas quoque ei dedit ad quosdam ex proxumis tuis. Quare cave ab isto: sed propere ad eum pecuniam mitte, ut adiuvetur ad bellum cum Zingis.* Ut igitur Tachrir Fostatum pervenit, excepit eum domo, quam in Hippodromo habebat, nec antequam Aegypto decederet, ex hisce aedibus foras egredi sivit. Movaffeci autem respondit literis blande ac comiter scriptis; et ademtis Tachriro epistolis, quas ex Iracâ in Aegyptum tulerat, omnibus, ei praeter tributum, quod lege debebat, ad Motamedem dedit millies mille et ducenties mille aureos. Tum missis cum illo testibus publicis, ipse eum deduxit Arischam, quod Aegypti est oppidum prope Syriae fines, et illuc arcessito quodam Amagoris, Syriae praefecti, proximo, huic Tachrirum quaeque ferebat tradidit, et iusiurandum ab

a Mousa ibn Boga. b Obaid Allah ibn Solaiman ibn Wahab. c Takhrir.

ab eo exegit, se ista accepisse. Redux Fostatum perlegit epistolas, quas Tachriro ademerat, easque scriptas invenit ad multos ducum suorum, quo in partes traherentur Movaffecis. Principes horum partim castigavit, ut morerentur, alios coniecit in vincula. Sed postquam responsum Amedis ad Movaffecem pervenerat, hic iterum ad eum literas dedit, in quibus parvam appellabat, quam miserat pecuniam, et liberrime prorsus in eum invehebatur. Interrogavit quoque praesentes, quis eorum in Aegyptum tendere vellet, eique Tulonidis loco praeësse: sed nullus suscepit; quippe Amedes gratiâ, qua valebat apud principes imperii, et largitionibus maximis sese muniverat. Videtur homo, accensus cupidine provinciae tam divitis, Tulonidem irritare studuisse, ut belli causam haberet; sin id minus procederet, quovis modo illam sibi rapere. Hic autem, cognitis Movaffecis literis, *Quam habeo*, inquit, *cum illo rationem? aut cur ita ad me scribit?* Tum rescripsit ad eum epistolam, cuius post exordium solitum hoc erat argumentum: *Literae Principis, quem Deus summus adiuvet, ad me pervenerunt, easque cognovi. Merito Deus illum eo beavit, quod talem sibi elegerit, qualis sum ego; me columen constituerit, quo sustineatur, ensem, quo saeviat, et hastam, cuius mucrone ab hostibus sese tueatur. Nam licet sarcinam magnam et onus grave susceperim, in eo diligens sum, in id meum contuli studium, ut largiendo, donando, adiuvandoque, omnes qui fortes vocentur, alliciam, et advocem omnes, qui potentes nominentur valentesque; quo huic imperio praesidium sit, et avertatur praecidaturque cupido eorum, qui id odio habeant atque aversentur. Huiusmodi vir, qui talem sequitur in amicitiâ et sinceritate rationem, dignus foret, cuius pretium illi innotesceret, quique pro merito honoraretur, et sortem ac dignitatem obtineret prae omni illustrem: verumtamen tractor, contra atque deceret, cum ista persolvere imperor, et nullâ de caussâ acerbis adeo verbis compellor; imo pro obedientiâ mihi imponuntur molesta, pro amicitiâ cogor: haec mea merces. Qui talem a me petere vult obedientiam, qualem petiit Princeps, quem Deus summus adiuvet, eam petat oportet dando, donando, conciliando, placando, honorando, nedum molesta postulet, atque obedientiae onus et sarcinam gravem imponat. Equidem causam non novi, quae alienationem pariat, eamque incidere faciat me inter et Principem, quem Deus summus adiuvet; aut*

illum eo a me modo esse tractatum, qui parem exigat tractationem, litemque moveat: nam negotia, quae obeo, ad alium pertinent, atque de eis ad alium refero; non ego ab illo praefectus sum. Etenim ille et Princeps Gâfar Mofaüed, quem Deus summus adiuvet, provincias inter sese partiti sunt, et sua utrique obtigit portio, cui solus praeësset sine altero. Uterque in eâ inauguratus est, hac conditione, uti qui pactum non observaverit fidemque patrocinii, nec quae deberet, praestiterit alteri, illi populus non diutius obnoxius sit futurus, nec iureiurando, quod dederit ei, obstrictus, eumque removere licitum atque concessum. Quod autem me Princeps ita tractare instituit, modo studens de statu deiicere, modo munere movere, quodque aggressus est impie, id illius est nota, qui conditiones haud servat, foedusque frangit. Amici iam mei precati sunt, et iterum iterumque orarunt, ut illi abrogarem imperium, eiusque nomen praetermitterem in precibus publicis: sed malui manere sinere, etiamsi ipse non malis; procuratorem te agnovi, dum vicissim non àgnoscebas, ac ferre cohibereque iracundiam existimavi sapientem et prudentem decere: quare animum meum ardentissimas feci tolerare prunas, et toleratu amarissima, quin ea quae pectus continere non potest. Principem autem, quem Deus summus adiuvet, propterea quod malui artibus bonis, iustitiâque, et noxâ detrimentoque arcendis efficere, ut firma esset praefectura illius, et magis magisque stabiliretur; decet in primis mihi auxiliari, neque me eo adigere, quod quam averser, Deus novit honorandus et laudandus, ut quae ad imperium tuendum paravi, copias multas exercitumque duplicatum; quorum milites exercui proeliis et probarunt negotia; haec igitur uti ad illud pessumdandum convertam. Sunt vero apud nos et in medio nostrûm, qui sese, quam Principem, aptiores aestiment digniores que imperio: qui si potius mihi se crederent, quam deficientes propriis sese viribus conarentur tueri; opes eorum firmarentur, et acies principatui esset molesta. Et probe scit Princeps, sibi adversarium esse unum ex eis, qui iam satis importunus fuit, et omnem exercitum fudit, quem ille in eum incitaret, cum tamen praeter colluvionem Basrensem et turbam ex plebe eorum miscellaneam, nemo illi auxilium ferret. Quid igitur faceret adiutus ab eo, quem inveniret praesidium arduum, et adiutorem

rem

rem potentem. Sed Princeps, quâ est constantiâ mentis, aciem centum millium equitum non contra se vertet, aut sibi opponet nullâ causâ adactus. Si autem Princeps in gratiam me recipit et redit ad illud, quod decet et convenit, bene est; sin minus, optamus a Deo honorando et laudando, ut pares simus illius potentiae, materies mali illius subtrahatur, atque nos pergat tueri pro optima eius erga nos ratione. Haveto.

Has literas quum Movaffec cognovisset, valde eum moverunt irritaruntque. Arcessito Musâ Bogae filio, ei Tulonidem a provinciâ removendum mandavit, Amagorem in eius locum sufficiendum, terras ditionis Mofauëdis subigendas, exigendasque ex eis pecunias. Ille mandato obtemperans epistolam scripsit ad Amagorem, quâ ipsum Aegypto praeficeret qui tamen quum cunctaretur ad Amedem mittere et mandati certiorem facere (nam impotens erat eius opibus resistendi); et huic, literis datis, et illi imperavit ut pecuniam penderent: ipse expeditione in Aegyptum susceptâ, quo Tulonidem vi removeret, et Amagorum substitueret, cum exercitu Raccam contendit. Amedes, hisce acceptis, dolore commovebatur, non ideo, quod arma adversus ferre non posset, sed quoniam dedecorare cogeretur imperium, et tamquam seditiosus, contra dominum rebellare: non invenit tamen, quo minus bellum susciperet ad sese tuendum. Urbem Fostatum contemplatus, invenit inexpugnabilem esse, praeterquam ab ea parte, quae Nilum spectaret, et de eventu rerum sollicitus, in insulâ Raudâ, quae in flumine est Fostatum inter et Gizam, arcem aedificare constituit in quam, si opus esset, cum familia thesaurisque confugeret: antequam enim bello se occuparet cum eo, qui a continenti invaderet, prius securus esse voluit ab eo, qui forte Nilum intraret. Arcem igitur exstrui iussit, et reliqua, quae opus forent, parari: centum naves longas ad ostium Nili observare; signa constitui, quibus, quae accidissent, indicarentur; columbas tabellarias edoceri, quae literas perferrent; abunde ad manus esse scapharum cymbarumque omne genus. Custodes quoque misit in Aegyptum superiorem et inferiorem, qui evectionem frumenti prohiberent. Arx interea summâ properatione exaedificabatur. Mirabile visu erat, quanto mane, et quam alacriter, ad opus quotidie properarent opifices. Tantam nimirum Amedes iis dabat et pollicebatur mercedem. Curam rei tribunis et amicis dispertiverat, singulisque partem adsignaverat: sed ipse

etiam

etiam quoque die veniebat inspectum. Movaffec interim, quo Tulonidis animum metu occuparet, soleam eius furto auferri curavit e' sacrario quodam, quod nemo praeter amicos familiares intrabat; eandemque deinceps legatus illius nomine ad Tulonidem retulit adjecitque: *Qui potest hanc soleam capere e loco, quem nosti, nonne is capere potest spiritum tuum? et per Deum, Princeps, constitit illi huius soleae captura quinquaginta aureorum millibus.* Inter haec Mûsa decem menses commoratus fuerat Raccae: nam opes Tulonidis reformidabat, et inopia laborabat pecuniae. Tandem Turcis tumultuantibus, stipendiaque instanter postulantibus, cum deficiente pecunia ab illis sibi metueret, et scriba etiam Mûsae, Obeidalla Soleimânis filius, eorum furori se subduceret, necessitate coactus fuit in Iracam redire, ubi post duos menses absumtus est morbo, mense Octobri anni octingentesimi septuagesimi septimi. Quem nuntium cum primum accepit Tulonides, statim ab aedificatione abstinuit, et multas in pauperes fecit largitiones, quîs Deo gratias ageret, quod ab re inhonestâ se servasset. Opificibus quoque magnam dedit pecuniam, et quam in antecessum acceperant, reliquit omnem. Constabat tum temporis, quemque laterem illi stetisse denario argenteo, summam totam octoginta millibus aureorum.

Iam ante aliquod tempus cum eo questi erant Fostatenses, templum in Ascare, in quod die Veneris, Mohammedanis sacro, congregari solebant, homines iam capere non posse ob tantam, quam aleret, militum et Nigritarum multitudinem. Neque frustra fuerunt: nam constituit Amedes novum templum aedificare in monte Ieschcare [a], quoniam hic locus quamdam haberet sanctitatis opinionem, ibique preces magis quam alibi exaudiri crederentur. Fama tum quoque loquebatur, Deum hîc leges aliquot cum Mose, Iudaeorum legislatore, communicasse. Decrevit igitur ibi templum exstruere ingentis amplitudinis, trecentis suffultum columnis: sed quum illi dixissent, eas nusquam inventum iri, nisi e templis Christianorum in Aegypto inferiori et aedificiorum vetustorum reliquiis raperet; multis et diversis animo agitatis, quid faciendum foret, prorsus statuere non poterat; quippe expetens templum aedificare quam maximum splendidissimumque, Christianorum tamen delubra spoliare nolebat. Postquam autem aliquid hac de re audivisset Christianus ille, quem supra memoravimus aquaeductum et fontem exstruxisse, et ob suspicionem maleficii inclusum in carcerem; statim ad

a Yeschcar.

ad Principem literas dedit, sese aedificaturum, quemadmodum vellet ac desideraret, absque ullis columnis, praeter binas ad regionem, qua facies inter preces vertenda sit, significandam. Hominem adduci iubet. Ut venit (capilli autem ita longi evaserant ut in faciem dependerent) Amedes, *Quid*, inquit, *insane*, *memorasti de templi aedificatione?* Tum ille: *Depingam id Principi, ut ipse intueri possit exemplum sine columnis descriptum, praeter binas Keblae.* Hoc nomine istam appellant Mohammedani regionem, in templis suis notatam, quae Meccam spectat, quoque faciem inter precandum obvertere debent. Pellibus afferri iussis, Christianus incipit pingere. Absolutum exemplum Amedes admirans probansque, eum praeter libertatem chlamyde donat: adhoc, quae impendat, centum permittit aureorum millia; si praeterea opus habeat, sese daturum. Fertur quoque Amedes aliquando dixisse: *Volo, ita aedificetur, ut sive igne Fostatum pereat, sive aquâ, id tamen supersit:* quumque illi suasissent, id calce et cinere, atque lateribus rubris, qui ignem perferre possent, ad culmen usque exstruendum mandare, neque, quod ignem non patiantur, columnas in eo ex marmore albo ponendas: illum ita aedificare iussisse Christianum. Inchoato aedificio, advenit Amedes die quodam mensis Ramadanis [a] prope vesperam, cuius dies lege Mohammedanâ ieiunio sunt dicati: post solis occasum edunt bibuntque. Ut igitur operas etiam tum in aedificando occupatas vidit, *Quando*, inquit, *miseri isti familiae et liberis ement, quo ieiunium solvant? dimittite eos post meridiem.* Hinc mos iste quotannis eo mense in Aegypto obtinuit, ad aetatem saltem Macrizii. Verum cum dies ieiunii praeteriissent, dixerunt nonnulli ad Amedem: *Mensis Ramadan iam finivit: quare istis ad consuetam rationem est redeundum.* Sed ille: *Quomodo mihi bene dixerint, audivi; eoque beatum me puto: neque illa res istiusmodi est, quae magnae nobis sit molestiae.* Ceterum architectus, opere intra biennium absoluto, templum extrinsecus albo tingit colore, omniaque perpolit: lampades adfabre factas catenis ex aere solido pulchris longisque in eo suspendit, solum storeis Abdaniticis atque Samaniticis tegit, et capsas cum codicibus Alcoranis reponit. Forma retulisse fertur templum Samarrense: turres, quae templis Mohammedanis imponi, et e quibus praecones statas precibus horas pronunciare, populumque in templum invitare solent, similes quoque fuerunt. Sche-

a Ramadhan.

Schema huius turris dicitur ipse Amedes confecisse. Sumto in manus aliquando chartae albae volumine, visus est eo ludere: evolvebat enim, et explicabat, et particulas paulatim decerpebat, ut reliquam partem manu retineret. Cum praesentes vehementer mirabantur: nam nunquam eum ludentem viderant, aut aliquid frustra agentem: ille statim ad architectum abiit, eique chartâ traditâ, imperavit ut turrim templi ad hoc exemplum exstrueret. Inter fabulas, nullo testimonio scripto confirmatas, Macrizius refert, circumquaque per omnem templi ambitum zonam succini fuisse, cuius odor super precantibus diffundebatur. Ceterum in medio templi impluvio erat tabernaculum quoddam, ab omni parte reticulatum, auro obductum, decem fultum columnis marmoreis, sedecim aliis ex eodem lapide ab omni latere cinctum, totum marmore stratum. Alveus erat in recessu ulnis quatuor latum, e quo medio fons aquae scaturiebat. Tectum distinctum erat signis astrorum et loricâ e platano confectâ instructum. Ex latere templi australi aedificium erat, quod domus praefecturae nominabatur. Portam habebat in ipso pariete templi, per quam introitus erat in illud conclave, quod secretum et velis seclusum in delubris Principes Moslemii habere solent, et Mecsûram appellant. Id erat prope suggestum locumque, ubi facie Meccam conversa, stare solet antistes caerimoniarum, et populo preces praeire. Instructa erat haec domus stratis, tapetis, utensilibusque omne genus necessariis. Quum Amedes die Veneris e palatio suo ad templum precatum exierat, in domo praefecturae commorabatur, corporis iterum ex lege lavandi ergô et vestium mutandarum: hac enim caussâ illam aedificandam curaverat. Perfecta sunt omnia mense Maio anni octingentesimi septuagesimi septimi. Tum notum fecit hominibus, posse eos ibi precari. Sed nemo illuc convenit: existimabant enim, illum id pecuniâ aedificasse illicitâ. Postquam autem oratione ad populum habitâ, se purgasset iurassetque, se non suâ id delubrum exstruxisse pecuniâ, sed thesauro, quem fortunâ nactus fuerat, et naviculae tantum venti indicis, quam turri imposuerat, impensis thesaurum se superasse; tum precati ibi sunt homines, eoque hoc magis, quod illi gratum erat, atque rogarunt, ut Keblam in eo poneret. Sed quum nunciatum illi esset, geometras dissidere de loco, quo ponenda foret; illi in somnio perhibent apparuisse Mohammedem, locum istum in terra delineantem, et hic Keblam esse ponendam significasse. Amedem postridie mane illuc abiisse, et invenisse formicas locum, quem descripserat, ambientes. Keblam igitur posuisse, et huic spatio inaedificasse antistitis locum.

Pri-

Primus dies Veneris, quam templum absolutum erat, festus fuit et laetus. Maximas Amedes in pauperes et egenos largitiones faciebat, et instruebat eis epulas. Preces in templo praeibat Baceâr Coteibae filius [a], Iudex, de quo inferius plura dicemus, et Rabîë Solaimânis filius, celeber traditionum doctor Schafeïcus, commentarium confecit de hac, Mohammedis quae ferebatur, sententia: *Qui Deo delubrum aedificat, licet nido catae non sit maius, huic Deus aedificat domum in paradiso.* Est autem nidulus hujus avis admodum parvus. Hoc igitur die Veneris, quo primum praesente Tulonide preces solennes in templo novo peractae sunt, postquam religioni satisfactum, extra locum Principi aulicisque destinatum consedit Mohammedes Rabîës illius, quem memoravimus, filius, et scholam publicam habens, patris commentationem praelegit, apertisque a discipulo, qui magistri verba excepturus erat, Mecsûrae foribus, non ante surrexit Amedes, adstantibus circum cubiculariis et corporis custodibus, quam ad finem perducta esset schola Mohammedis publica. Tum ad patrem Rabîëm egressus servorum unus cum mille aureorum marsupio, *Haec verba*, inquit, *Principis accipe, Deus te adiuvet illis, quae te docuit. Haec autem pecunia filio tuo Abudahiro Mohammedi conceditur.* Et hic Rabîë quoque die Veneris scholas habebat de traditionibus. Amedes autem omnes liberos suos in tabernaculo, quod in impluvio templi situm erat, exspectare iubebat, donec absolutis precibus, scholam adirent, Rabîës doctrinam calamo excepturi. Singulos autem scriba librarius et complures servi comitabantur. Ceterum vesperi illius diei se Amedes domum praefecturae contulit, ibique denuo lavato corpore et mutatis vestibus, in Mecsûram concessit, et Deum adorando gratias egit, quod ipsum adiuverat et secundaverat coepta. Abiens et domum suam contendens, ut ad tabernaculum in impluvio venit, Christianus templi architectus, qui in fastigium escenderat, inclamat praetereuntem: *Heus Amedes Tulonis fili, heus Princeps, praemium servus tuus sibi postulat fidem, non simile quid, ac vice priori, sibi eventurum.* Tum Amedes; *Descende, fidem dat Deus, tibi est praemium:* et postquam descenderat, chlamyde eum donat, decem ipsi dari iubet aureorum millia, et amplum, dum viveret, adsignat stipendium. Hoc etiam aut alio die Veneris, quum Abuïacobus Balchensis [b] solennem in suggestu templi orationem habebat, precatus est pro Chalifâ Motamede eiusque

que

a Baccar ibn Kotaibah. b Abou Yakoub Al-Balkhi.

que filio, sed oblitus est pro Tulonide. Cum descenderet e suggestu, Nasimo famulo Amedes imperat, quingentis eum castigaret verberibus. Sed orator, postquam in scalis iam erat, meminit socordiae suae, et inevitabilem poenam metuens continuo redit, et his verbis incipit: *Laus Deo: faveat Deus domino nostro Mohammedi.* Tum hanc recitat ex Alcorane sententiam: *Et dedimus antea Adamo praeceptum: sed negligens fuit, nec invenimus in eo perseverantiam.* Dein ita pergit: *Secunda, Deus, res Principis Abulabbasi Amedis filii Tulonis, procuratoris Principis credentium.* Adeoque verbosus fuit in gratiis agendis et precibusque pro eo faciendis, acsi esset oratio. Amedes ingenium et sagacitatem viri admiratus, postquam descenderat, nutu Nasimo significat, ut pro verberibus reddat totidem aureos. Orator reputans quae fecisset, Deum praedicat incolumitatis auctorem, et gratulantur ei homines. Constat etiam, templo exaedificato, Amedem per speculatores exquisivisse, quae homines in eo vitia notarent Fuit autem qui diceret, minorem quam oporteret esse locum antistitis: tum alius, nullam in eo cerni columnam: alius denique, nullum locum lavandi. Quum haec audivisset, populo convocato, ita ad eos locutus est: *Quod ad antistitis locum; vidi Dei legatum, id mihi describentem in somnio, et expergefactus animadverti formicas locum, quem descripserat, ambientes. Quod ad columnas; equidem aedificavi hoc templum pecuniâ licitâ, id est thesauro, neque is sum, qui illicitae eam admisceam: quare illud a columnis istis, sive ex Moslemorum templis, sive Christianorum sumtae fuissent, integrum et impollutum servare volui. Quod ad lavacrum; reputavi mecum, id necessario multis inquinari sordibus, a quibus tamen cupivi templum purum servare: sed exstruam illud pone aedem.* Et continuo conficiendum mandavit, et adiungi curavit apothecam syruporum, in quâ omnia erant medicamentorum genera. Famuli ei praefecti erant, et medicus ibi sedebat die Veneris, qui arte suâ opem ferret, si quis eorum, qui ad preces convenissent, quidquam pateretur. Narrant quoque duo Amedis de hoc templo insomnia, quae sortita sint exitum. Ea hîc referam, sed fides sit penes auctores. Aiunt igitur somniavisse aliquando, se Deum cernere adparentem, et splendorem lucis urbem, quae circa templum erat, illuminantem, dum nihil lucis ipsi templo incideret. Experrectus somno valde anxius fuit et incertus, unde haec divina aversatio, cum tamen animo puro et pecuniâ absque dubio licitâ templum aedificasset. Consultus ab eo solers

so-

somniorum coniector significari dixit, vastatum iri, quae circa sint, omnia, templum solum superfuturum. Et interrogatus, undenam hoc novisset, *Ex eo*, inquit, *quod dixit Deus optimus maximus in Alcorane: Ubi Deus apparuit monti, comminuit eum; et quod inde dixit propheta: Quum Deus apparuerit rei alicui, illa se ei demittit.* Aliâ rursus nocte ipsi in somnis objicitur species ignis de coelo demissi, qui templum praeter ea, quae circum essent, corriperet. Quod visum quum postridie narrasset, hoc responsum tulit: *Laetus sis templo a Numine accepto: nam quum Deus tempore prisco gratum habebat sacrificium, ignis de coelo demittebatur, qui id accenderet. Testimonium est historia Caïnis et Abelis.* Ita videlicet vafri somniorum coniectores contraria paene, ubi id conducere videtur, in eumdem sensum interpretari sciunt. Quamquam eventus bene respondit: nam omnis regio, quae circa templum erat, posthac vastata fuit; domus quoque praefecturae, tabernaculum cum fonte in impluvio, ipsa turris incensa: sed templum, siculi narrant, hodiedum superest. Quod ad impensas, summa fuit nummorum aureorum millium centum ac viginti: et instaurationi in posterum dicavit nonnullorum aedificiorum reditus. Pecuniam illam Macrizius ab Amede narrat effossam in illo montis cacumine, quod Tennûr Pharaonis appellabatur, et supra a nobis memoratum est. Tanta iterum ab eodem in Aegypto inventa pecuniae vis apud multos fortasse vix fidem habebit. Verum ut iam Langlesius monuit, in adnotatione ad Nordenis iter in Aegyptum et Nubiam, licet hyperbolis Arabum non nimia fides habenda sit, diversis temporibus a principibus et praefectis Mohammedanorum ingentes nummorum summas effossas esse, omni dubio caret. Tertius etiam, auctore Macrizio, fertur a Tulonide inventus thesaurus. Quum enim aliquando equo se contulisset ad pyramides, cubiculariorum praefectus ei homines ostendit lanâ vestitos et instructos ligonibus ferreis et vectibus. Postquam a Principe, quae agerent, interrogati, *se quaesitores thesaurorum veterum esse* responderant, eos vetat hoc in posterum facere, citra veniam suam et hominis a se delegati comitatum. Tum ei narrabant, certo loco ibi thesaurum esse, ad quem nondum pertingere potuissent. Amedes adiuncto illis Rafecio[a], et literis datis ad Gizae praefectum, quibus imperaretur illis operarios suppeditare et pecuniam, quam res exigeret; abiit. Diu frustra laborabant. Cum denique aliquando Tulonides eos visitatum venerat, pel-

a Al Rafeky

pelvim effoderunt lapideam, plenam aureorum, cui inscriptio insculpta erat literis inusitatis. Advocatus aliquis, qui eas legere poterat, hanc dicebat contineri sententiam: *Ego quidam, filius cujusdam, rex sum qui aurum a scoriis sordibusque purgavi: et qui scire velit, quantum meum imperium praestet suo, is videat, quantum denarii mei materiâ praestent suis: nam qui aurum purgat a sordibus, is dum vivit, et post obitum, bonus èt sincerus habetur.* Quibus auditis, *Laudo Deum*, inquit Tulonides, *nam quod mihi haec inscriptio interdicit, magis amo quam pecuniam hac pelvi contentam.* Tum quaesitoribus singulis distribui iubet aureos ducentos, operariis singulis praeter plenam mercedem quinque, trecentos Rafecio. Nasimo famulo permittit sumere, quantum velit. Qui postquam dixerat se sumturum, quantum herus iudicasset; Amedes, *Prehende*, inquit, *quantum binae manus continere possint; et praeterea bis tantum accipies e gazis meis: horum enim nummorum sum tenax.* Nasimus satis avide manus extendit et tenet mille circiter. Ceteros aufert Amedes, et quum cognovisset hos numos reliquis praestare omnibus, continuo operam dedit, ut aureorum materiam in Aegypto meliorem redderet, et cudit novos qui Amedii dicebantur, et reliquis omnibus bonitate antecellebant. Hi quoque soli inaurando adhibebantur.

Sed redeamus in viam, a qua digressi sumus. Postquam aedificatio templi inchoata erat, mortuus est Amagor, praefectus Syriae, atque a defuncti proximis in locum patris substitutus filius Alis. Tulonides eam opportunitatem ratus potiundae Syriae, maxime cum Movaffec bello cum Zingis detineretur, causam praetendens, velle se Graecis e Thoguriâ bellum sacrum inferre, exercitum comparat quam maximum, et multi voluntarii, ut pro religione, ei se milites offerunt. Interea epistolam scribit ad Amagoridem, quâ praeter provincias, quas iam teneat, sibi datam a Chalifâ quoque Syriam ait, illumque invitat, ut sibi sacramentum dicat, et in bellum sacrum profecturo victum et commeatum paret. Alis obedientiam pollicetur. Primâ aestate anni octingentesimi septuagesimi octavi Amedes ex Aegypto movet, summâ imperii ibi commissâ filio suo Abbaso, et negotiorum curatore ac Veziro huic adiuncto Amede Vasetino. E Palaestinâ plurimi quoque eum sequuntur voluntarii milites. Quum Ramulam pervenisset, obviam ei ivit praefectus urbis Mohammed Râfis filius[a], eiusque di-

[a] Mohammed ibn Rafi.

ditioni se subiecit. Huic provinciâ prorogatâ, Damascum contendit, ubi Amagorides eum excepit precesque publicas pro eo fieri curavit. Amedes illi et legatis eius magistratus prorogavit, et Damasci mansit, donec imperium suum in Syriâ satis firmatum esset. Dein Emessam se contulit, et praefectum Isam Carchium [a], qui ei se dederat, denuo urbi praeposuit: sed posthac delatum a civibus rursus munere movit. Tum Hamatâ et Halebo expugnatis, ad Simam, Tavîlis [b], hoc est, proceri cognomine, provinciae Halebinae rectorem, qui tunc cum magnâ Turcarum multitudine Antiochiam tenebat, literas dedit eumque invitavit ad deditionem: se tum provinciam ei prorogaturum. Sed dedignatus est Sima, vel iterum rogatus. Primum exercitus agmen interea iam Scanderonam [c], ipse Pagras [d] processerat, cum, voluntariorum copiis et militibus ad bellum sacrum destinatis praemissis in Thoguriam, repente, omnibus rem ignorantibus, Antiochiam deflexit. Ad portam urbis, quae maris porta appellabatur, castra metatus, per aliquod tempus frustra expugnare tentavit: donec mense denique Septembri, quum omnem spem iam abiecerat et abitum meditabatur, incolae quidam, qui custodes aversae murorum partis positi erant, sed in Simam odium conceperant, Amedi nunciatum venerunt, illam partem infirmam esse et destitutam praesidio. Erat montibus proxima et prope portam, quae Fares nominabatur. Illi clam se recipiunt: Amedes copias instruit, et machinis admotis, nondum aurora illuxerat, cum muro potiuntur. Sima, qui domi suae erat, ut clamorem strepitumque audivit, cum satellitibus suis confestim conscendit equum, et acriter pugnans manu hostium cecidit, vel sicut alii tradunt, lapide molari, e tecto in eum a muliere devoluto, interfectus est. Milites circiter horam per urbem grassati, omnia diripuerunt et puberes trucidarunt. Caput Simae a quodam qui eum cognoverat, Tulonidi est allatum, qui urbem ingressus, ad fontem, qui prope portam erat, consederat. Luxit autem mortuum: nam olim habuerat in familiaribus. Ab Antiochiâ in Thoguriam profectus, primum Mopsuestiam, deinde Adanam, mense denique Decembri Tarsum pervenit, ut hinc bellum sacrum inchoaret. Quum vero cives a militum multitudine premerentur et annonae inopiâ laborarent, tumultum concitaverunt et castra ingressi dixere Tulonidi: *Premis urbem nostram et annonam caram reddidisti: quare vel morare cum numero parvo, vel discede.* Satius ratus abi-

a Isa Al Carkhi. b Sima al Thawil. c Alescanderounah. d Bagras.

abire, et dolum meditatus, quo Imperatorem Graecorum a terris suis arceret, metumque iniiceret, milites cum Tarsensibus certamen conserere et terga vertere iubet: *Si ita*, inquit, *Tarso aufugeritis et e regione cesseritis, Tulonides hosti videbitur cum tanto et tam strenuo exercitu haud par fuisse Tarsensibus.* Ita igitur fugam simulans, Tachschâ relicto vicario, in Syriam redit. Neque hic dolus effectu caruit: nam Graecus cum Turcâ amicitiam copulare cupiens, cum multis aliis captivis ei Abdallam Raschidis filium, Cavusi nepotem [a] remittit. Hic e voluntariis, ut videtur, qui Tulonidem praecesserant in Ciliciam, dux cum quatuor equitum millibus anno superiore fines Graecorum invaserat, depopulatus erat, et ubique fecerat stragem. Tandem Mohammedani, a Graecis circumventi, de iumentis descenderant, et succisis suffraginibus, ne hostibus usui forent, pugnaverant pedites, praeter quingentos, qui facto impetu tamquam viri unius, et acie Graecorum perruptâ, iumentis suis vecti evaserant. Multi tum Mohammedani ceciderant, multi fuerant capti: in his Abdalla ille ad Imperatorem perductus.

Ut in Syriam rediit, ingratum nuncium audivit, Abbasum filium, quem in Aegypto vicarium reliquerat, raptis opibus defecisse: quod tamen non adeo eum commovit, quo minus in reditu res Syriae componeret. Carrhas cum magno exercitu misit Amedem Geigaviae filium [b]. Urbs illa tum parebat praefecto Mohammedi Autamischi filio [c]: qui a Geigaviade pulsus est turpiterque fugatus. Sed quum nuncius huius rei pervenisset ad fratrem Mohammedis Mûsam, virum fortem ac strenuum, ut fratris iniuriam vindicaret, magno coacto exercitu, Carrhas tetendit. Quo audito valde anxius et sollicitus fuit Tulonides: sed Arabs quidam scenita, Abulagarri [d] nomine, eum intuitus, *Sollicitum*, inquit, *te video, Princeps, ex quo de filio Autamischi nuncium audivisti. Sed cuiusmodi, quaeso, est ille? excors ipse timore et inquietus! Si velit Princeps, vinctum adducam.* Quis verbis iracundiâ inflammatus Tulonides, *Jam volo*, inquit, *ut mihi vinctum adducas.* Tum Arabs: *Adiunge mihi viginti viros, quos delegerim.* Quo concesso, cum delectis proficiscitur, atque ut prope Mûsae castra pervenit, locum insidiis circumspectat, et ibi quosdam suorum iubet latere, signo cum eis constituto, quo dato prodeant. Cum reliquis castra hostium in-

a Abdolla ibn Raschid ibn Cawous. b Ahmed ibn Djeigawiyyah. c Mohammed ibn Autamisch. d Aboul Agarr.

ingreditur, qui admodum socordes erant, et frequentes ad negotia sua peragenda discesserant. Ut igitur scenitae conspiciuntur, Mûsa et reliqui, pavore et trepidatione perculsi, propere equos conscendunt: fugit Abulagarrus, persequente Musâ, versus locum insidiarum: tum repente signo dato a latere irruunt: ipse conversus Mûsam adoritur et capit, comitesque funduntur. Arabs ducem primum ad Geigaviadem, dein ad Tulonidem mittit, qui eum in vincula coniicit, et Luloë duce cum magno praesidio Raccae relicto, et Diarmodari [a], Halebo, Emessae et Kinnesrini praefecto, in Aegyptum contendit, quo circa initium mensis Maii anni octingentesimi septuagesimi et noni pervenit. Hic patrem negotiorum molestissimum manet, bellum cum filio, qui, ut diximus, ab illo defecerat. Quum advenientem patrem reformidaret, a malis consultoribus corruptus, gazas paternas corraserat, bis millies ferme aureorum millia, trecenta a mercatoribus in antecessum acceperat mutua, et mandaverat quaestori, ut tantum minus ab eis exigeret, atque his spoliis onustus ante mensem circiter cum suae partis hominibus Gizam aufugerat, et ibi castra metatus fuerat. Amedem quoque Vasetinum, scribam patris, vinctum secum abduxerat. Sed ne ibi quidem satis tutum se ratus, curatore urbis relicto fratre Rebiâ [b], simulans Alexandriam se petere, Barcam tetendit. Amedis cum filium primum a malo consilio revocare tentaret, literas lenitatis plenas Baccari Coteibadi dabat cum legatione Barcam perferendas: sed illum scelus suum agitabat, et iudex re infectâ, ineunte mense Augusto, redire coactus est. Et quum familiares illius magis etiam, quam ipse, metuerent, quippe quos non maneret paterna indulgentia, sed domini ira: illum hortati sunt, uti in Africam ulteriorem pergeret. Quo profectus est circa initium anni octingentesimi et octogesimi; et epistolis ad varios Barbarorum principes missis, alii in eius partes transierunt, partim recusarunt. Ad Ibrahimum quoque Aglabidem, qui Kirvane tum regnabat, literas dedit, quibus se aiebat a Chalifâ provinciis Africanis praefectum. Tum ad arcem Leptin se contulit: quâ oppugnatâ, etsi qui tenebant, portas aperuerant, male tamen ab eo tractati sunt, multi interfecti, bona direpta, uxores stupratae. Quare se verterunt ad Eliam Mansoris filium Iacusium, principem Ebadidarum, qui in istis regionibus erat. Hic, cum facinus narrassent et opem implorassent, iracundiâ incensus cum auxiliis se venturum promisit. Ibrahimus exercitum Tripolim miserat, iusseratque cum Abbaso con-

a Diyar Modhar. b Rebyah.

conserere pugnam. Congressi acriter dimicarunt, donec nox eos dirimeret. Laudabatur tum temporis Abbasi in hoc proelio virtus, et carmen elegans inter pugnandum recitasse fertur, cuius haec est sententia: *A Deo ista felicitas, quod insidens equo meo, irruo in praelium, igne belli flagrante. In manu est ensis, quo capita abscindo, in cuius acie mors est, nihil relinquens nihilque omittens. Si quaeras, puella, de me rebusque meis; ecce ego sum leo gladiusque est praestantissimus, ex Tulonide genus meum. Si quaeras, nemo me superat nobilis generositate praestantior. Si intuita esses meum impetum Lepti, quum gladio ferirem et capita obruerentur: sane ex me contemplata esses, quod ut miraculum de me celebrabunt narrationes, historiae et famae rumor.* Haec tum canebat: sed postero die cum duodecim millibus Ibadidarum advenit Elias, et copiis iunctis cum exercitu ducis ab Ibrahimo missi, proelium commiserunt cum Abbaso, quo huius optimi milites et praefecti fortissimi ceciderunt; impedimenta et pleraque eorum, quae ex Aegypto abstulerat, capta sunt; ipse prope abfuit, quin in hostum manus incideret, et vix a liberto quodam ereptus, turpi fugâ Barcam pervenit. Pater nuncio de clade filii accepto, graviter doluit. Primo vere anni octingentesimi primi copias Barcam mittit, et mense Octobri cum ingenti excercitu, quem ferunt ad centum millia fuisse, Alexandriam tetendit. Ubi quum ad eum transfugisset Amedes Vasetinus, parvi iam faciens potentiam filii, ducem cum agmine Barcam misit, qui certamine cum Abbasi militibus conserto, facile in fugam vertit, et multis caesis, ipsum vivum prehendit, patrique adduxit. Id factum mense Februario anni proximi. Post paucos dies Amedes Fostatum rediit, et Abbasum in conclavi palatii vinctum tenuit, donec post tres menses exercitus cum captivis reliquis advenisset. Tum omnibus una cum filio coram advocatis, hunc iussit illorum principibus manus ac pedes amputare. Quod imperatum quum perfecisset, graviter eum pater reprehendit et his verbis castigavit: *Hoc adeone Principe et Imperatore dignum est? Melius fuisset, si supplex coram me humi te coniecisses, et cum tibi, tum illis veniam a me quaesivisses. Quo facto et dignitati tuae amplificandae magis consuluisses, et quae illis debebas, melius persolvisses.* Tum centum eum caedi iubet verberibus, ipso intuente: sed miserabile spectaculum patris lacrymas ciebat. Hinc denuo in conclavi custodiendum mandavit. Reliqui in catastam, quae eis exstructa erat, educti sunt, indeque capitibus truncatis deiecti praecipites.

Dum

Dum haec in Africâ et Aegypto gerebantur, dux quidam Tulonidis, Simae nomine, cum trecentorum militum manu prope Tarsum incursionem fecit in fines Graecorum. Mohammedani tum victi sunt, sed postero anno cladem vindicaverunt.

Interea inimicitiae inter Amedem et Movaffecem Billam, quae iam sopitae videbantur, resuscitatae sunt. Causa fuit Lulois defectio, quem supra diximus tot ac tantis praepositum fuisse provinciis. Nimirum Tulonides ab Hoseino quodam Mohagiris filio a solitâ liberalitate ac munificentiâ deductus fuerat ad magnam parsimoniam; et hac ratione, ut fit, voluntates a sese alienaverat, cum aliorum tum Luloïs istius. Hic praeterea scribam habebat Mohammedem Soleimanis filium, qui Tulonidi ab initio semper odio fuerat. Narrant enim, aliquo die, cum una cum Luloë in loco amoeno sederet, eum adolescentem ex Iracâ muneris scribae petendi gratiâ adiisse; quo conspecto Amedem, quippe qui in libro legerat, ut res fuit, per hunc filiorum suorum imperium finitum iri, eius occidendi Luloï dedisse mandatum: qui quum adolescentem, quae patria, quae ars, interrogasset, ad Amedem reversus sit, negans se hominem esse interfecturum: nam illud si Deus facere decrevisset, hunc beneficio sibi obligare, ut aliquando gratiam referret, satius esse: tum scribae munus ad eum detulisse Luloëm. Tulonides posthac, si quid Luloës deliquisset, semper hunc Soleimanidem eius scribam adoriebatur, et illum peccati Luloïs causam dictitabat. Aliquamdiu ille hoc tulit, sed metuens denique, ne quid peius a Tulonide pateretur, Luloï persuasit, ut annuum tributum non ad Tulonidem, sed ad Movaffecem mitteret; et Luloïs nomine ad eum litteras dedit, cupere se ad eius partes transire, atque ditioni et imperio se permittere. Movaffec cognitis literis, hoc illius gavisus consilio, respondit benevole et chlamydes misit, quîs illum honoraret. Qui autem fidi Amedis erant apud Luloëm amici, ut huius animadverterunt inceptum, illum de re certiorem faciunt. Rei magnitudine commotus, primum lenitatem et blanditias penes Luloëm eiusque scribam adhibuit: deinde quum id minus procederet, literas dedit ad Chalifam Motamedem, quarum argumentum huiusmodi erat: *Metuo ne quid accidat Principi credentium mali. Sed enim collecta sunt penes me centum equitatus strenui millia: quare suadeo domino meo, Principi credentium, ut in Aegyptum se conferat; itaque eius status redibit post famulatum ad fastigium gloriae, et fratri eius Movaffeci nihil succedet eorum, quae ab eo metuimus.* Epistolam hanc cum centum aureorum mil-

millibus homini certo ad Chalifam perferendam dat, et Aegypti procuratore constituto Chomaruiâ filio, et Abbaso in vinculis secum ducto, mense Septembri anni octingentesimi octogesimi secundi cum ingenti exercitu Damascum profectus est, auxilium, ut dictitabat, laturus Motamedi, servumque Luloëm in officium redacturus. Sed hic iam abierat, et primum Balisum profectus, direpto hoc oppido et proditionis mercede cum Movaffece, qui Raccae erat, constitutâ, Circesium duxerat, et hoc quoque oppido in potestatem redacto, mense Iulio ambo duces coniunxerant copias, ut bellum cum Zingis profligarent. Interim in Ciliciâ Chalfus Turca Ferganius, Tulonidis in Thoguriâ legatus, qui aliquot etiam invasiones in terras Graecorum fecerat, quum Bazemazum eunuchum, illius provinciae praefectum, nescio qua de causâ in vincula coniecisset, copiae hac re permotae, illum liberaturae, in Chalfum irruerunt et interficere tentarunt. Hic Damascum aufugiens, vix morti se eripuit: sed Tarsenses preces publicas pro Tulonide facere desierunt. Hanc igitur rebellionem vindicaturus quum in Ciliciam tendebat, Motamedis literae ei traduntur, quae eum permovent ut redeat. Quippe epistola Tulonidis non prorsus inopinato ad Chalifam advenerat: hic enim cum aegre ferret, nihil sibi de imperio, praeter nomen, superesse, omnes et vires et opes a Movaffece teneri, ut nulla esset sua in rebus et magnis et parvis auctoritas, omnisque penes fratrem potestas; iam antea cum Tulonide de hac iniuriâ clam fuerat questus. Cuius igitur ut cognovit epistolam, se venturum rescripsit. Amedes exercitum Raccam misit, qui Chalifae adventum exspectarent. Hic venationem praetendens principio mensis Decembris proficiscitur, nunc eo magis occasionem ratus ad evadendum, cum frater intentus esset bello cum Zingis. Haud longe progressus, quo magis etiam fraudem dissimularet, revera venatur. Antequam autem ad terras pervenit ditionis Ishaci Kendagici filii [a], Mosulae totiusque Mesopotamiae praefecti, hic a Saïde Mochalledis filio [b], veziro Movaffecis, de fugâ Chalifae iam certior erat factus, atque ut quovis modo eum retineret, rogatus Movaffecis nomine. Ut igitur adpropinquavit, obviam ei profectus quasi officii causâ, comitatus est ad fines usque provinciarum Tulonidis: ubi quum famuli ac servi Motamedis et praefectorum, qui eum secuti erant, de nocte ad proximam stationem progressi essent, ut dominis suis tentoria erigerent et reliqua pararent mox adventuris, Ishacus au-

a Ishak ibn Cendadjik. b Said ibn Mokhalled.

autem suos retinuisset; ita praefectos illos praesente Chalifâ allocutus est: *Jam adpropinquastis terris Tulonidis, qui vos ad aulam suam confugientes, imperio sibi servato, militum numero habebit et potestate premet. Hoc adeone vobis placebit? Scitis enim istum instar vestrum unius, nec vobis dignitate superiorem, sed parem esse.* Quibus verbis effecit, ut tantisper deliberarent, donec illucesceret, Motamede nondum ad proximam stationem profecto. Tum Ishacus duces illos adiit rogavitque, ad se introirent, ut possent, absente etiam Chalifâ, inter se colloqui; ac simul manu eos prehendens in tabernaculum, quod ibi habebat, introduxit; sed postquam intrassent, omnes capi iussit et vinciri. Dein Motamedem adiit et ipsi persuasit, ne sedem imperii sui et patrum suorum relinqueret, neque destitueret fratrem Movaffecem, dum bello occuparetur. Ita Chalifa cum reliquo comitatu ab Ishaco Samarram reductus est. Movaffec fratrem, ne tale quid iterum tentaret, certis hominibus custodiendum tradidit; et quo Ishacum remuneraret, omnibus donavit provinciis Tulonidis, ut totum terrarum tractum obtineret inter Bagdadum et Africam. Insignia addidit duos gladios, et cognomen Zussiefeini, quod duos gladios habentem, id est cum orienti tum occidenti praefectum, significat. His rebus auditis, Tulonides, quod tantâ spe deiectus esset, iracundiâ inflammatus, ilico e provinciis suis Damascum arcessivit iudices, iuris consultos et nobiles; in his Baccarem Coteibae filium, Omaridem, et Abuhazimum. Adhoc epistolam misit in Aegyptum, quae populo recitaretur, Abuamedem Movaffecem fidem Motamedi datam violasse: eum domi Amedis Chasibi filii in custodiâ habere: Motamedem ad statum pervenisse infandum, et magno fletu luctuque confici. Postquam haec epistola in Aegyptum pervenerat, orator sacer post solennem orationem in templo die veneris de Chalifae conditione exposuit, et Deum palam precatus est, ut ipsum tueretur ab eo, qui illum in custodiâ teneret inferretque iniuriam. Ut igitur Baccar cum reliquis ex Aegypto arcessitis Damascum pervenit; nam aderant iam Syrii atque Thogurii; Tulonides scribi iussit edictum, quo Movaffec, quod contra Motamedem rebellasset, eumque in custodiam inclusisset, ab imperii successione excluderetur. In ceteris scriptum erat, Movaffecem omne erga fratrem obsequium exuisse, et fidei mutuae vincula solvisse, ergo decere populum ut bellum sacrum contra illum suscipiat. Huic edicto omnes subscribunt praeter paucos, in quorum numero Baccar ille: *Non constat mihi*, inquit, *de eo, quod Abaumedes fecerit, neque id scio:*

 Mo-

Motamedis nobis epistolam, quâ illum constituit successorem, misisti; nunc quoque trade, quâ ab successione illum excludit. Tum Amedes irâ incensus: *Ille superatus est atque cogitur: te vero in custodiam includam, nec ante emittam, quam mihi illius epistolam tradideris.* Hoc gestum fuit mense Maio anni octingentesimi octogesimi tertii. Ut autem id audivit Movaffec, magis irritatus Motamedem, quamvis invitum, et voluntate amicum Tulonidi, iussit exsecrationem de templorum per Iracam suggestibus indicere, quâ Tulonides devoveretur. Solennis talis exsecratio concepta erat his verbis: Exsecrare, Deus, exsecratione eum, cuius levis est dignitas, atque perit felicitas: colloca eum in statu pereuntium; nam tu non secundas coepta male facientium. Tulonides e contrario in Movaffecem exsecrationem edixit in suis provinciis, et qui Meccam occuparet exercitum misit. Urbi tum praeerat Motamedis Chalifae nomine Haron Mohammedis filius, qui e vestigio Movaffecem de hostium adventu certiorem reddidit. Mox adfuere, Gafaro duce, Iracensium copiae; commissâque pugnâ, et caesis Aegyptiorum ferme ducentis, dux ipse cum ingenti praedâ capitur, et postea demum solutis centum aureorum millibus liberatur. Profligatis vero Tulonidis copiis, literae, quibus ipsi maledicebat Movaffec, publice Meccanis praelectae sunt.

Posthac demum in Ciliciam agmen movit, ut seditionem Tarsensium, cuius supra inieci mentionem, reprimeret. Quo in itinere Damascum veniens, Moaviae Chalifae tumulum, quondam ab Abbasidis dirutum, instaurari jubet, idque exterius alta fornice, interius lampadibus exornat, certosque constituit, qui ibi assidue Coranum legerent. Mox Adanam pergens literas et legatos misit ad Bazemazum, ut eum sibi conciliaret; sed frustra: quare profectus urbem obsidione cinxit Sed quum Bazemazus Cydnum flumen, quod urbem interfluit, tanta cum vi in castra ejus avertisset, ut milites prope perirent, cumque hiems esset et vis frigoris vehemens; obsidium solvere coactus est: scripsit tamen ad Bazemazum, se non aliam ob causam abire, nisi ne hostis praedae cupidus hac opportunitate involaret in provinciam. Et profecto otiosi non erant tum temporis Graeci: nuper enim mense Septembri dux quidam eorum Andraeas in Ciliciam, sex ferme a Tarso passuum millia, incursionem fecerat cum centum millium manu. Sed Bazemazus, usus noctis obscuritate, et ducem interfecerat, et militum, ut perhibent, sexaginta millia. Praedâ Mohammedani tum potiti erant ingenti: septem crucibus, quibus Graeci pro signis

ute-

utebantur militaribus, aureis atque argenteis, in his cruce eorum maximâ ex auro, coronâ margaritarum circumdatâ, tum camelorum mulorumque quindecim millibus: soliis ex auro confectis quatuor: torquibus ex eodem metallo ducentis: ensium auro et argento ornatorum, cingulorum, vasorum, rerum aliarum copiam magnam. In captivis fuerant multi episcopi. Sed Tulonides, uti diximus, coactus rerum necessitudine, Bazemazum, quamvis rebellem et legati sui exactorem, in provincia reliquit, et itinere facto per Adanam Mopsuestiamque Antiochiam pervenit. Ubi quum nimiam bubali lactis copiam bibisset, et incommodâ affectus valetudine, contra medici, quem secum habebat, Saädis Theophili Christiani consilium, prandio non abstinuisset, in morbum inplicitus est. Quocirca postquam Halebo Abdallam praefecerat Fatahi filium [a], quanto ocius statuit in Aegyptum redire. Primum in lecto a viris portabatur, sed infirmior, qui hoc ferret, dein mari Farmam [b] traiecit, et hinc adverso Nilo circa exitum anni Fostatum pervenit: cuius urbis advocatis medicis, nisi omnem, ut ipsum sanarent, impendissent operam, vitâ eos se privaturum minatus est. Tum quoque Baccarem, quem vinctum secum duxerat, coniecit in carcerem. Sed quoniam res admonuit, paulo copiosius de hoc viro exponam. Abubecra Baccar Coteibae filius, Abubardaae nepos, Obeidallae pronepos, Baschîris abnepos [c], e gente Harethi, Keldae filii [d], celebris aetate Mohammedis medici, ejusque amici, natus erat Basrae anno septingentesimo nonagesimo octavo. Hanefiam sectam profitebatur. Jurisdictionem Fostatensem obtinuit anno octingentesimo sexagesimo altero. Vitae eius morumque honestas et in munere obeundo iustitia et religio celebres erant. Antequam iusiurandum reciperet, iuraturum multum de rei gravitate et sanctitate admonebat. Dabat ei Tulonides praeter annuum stipendium mille quotannis denarios: sed Baccar illos intactos et annulo suo obsignatos seponebat nec quidquam ex eis erogabat. Quum igitur Amedes eum in vincula coniecisset, et hoc etiam ei exprobrasset beneficium; omnem istam pecuniam reddidit, obsignatam adhuc, duodeviginti crumenas. Puduit Amedem facti; nam opinatus fuerat, illum expendisse eam, et solvendo non esse; ideo exprobraverat. Jussus a Principe iudicis munus Mohammedi filio Schazânis Geuhario [e] tradere, hunc

a Abdolla ibn Al Fatah. b Al Farma. c Abou Becrah Baccar ibn Kotaibah ibn Abou Bardaah ibn Obaidallah ibn Baschir. d Al Harets ibn Keldah. e Mohammed ibn Schadzan al Djauhari.

hunc quasi vicarium constituit, dum ipse in carcere maneret. Fuit quoque doctor traditionum: quapropter quum carceri mandatus esset, questi sunt apud Tulonidem earum studiosi, se ab audiendo Baccare prohiberi; eisque roganti-bus, liceret illi docere in carcere, permisit uti hoc faceret e loco in custodia clathris secluso. Sed haec hactenus.

Eisdem temporibus denuo Alides quidam, Amedes Abdallae filius, Ibrahimi nepos, Ismaëlis pronepos, Abdallae abnepos, in Thebaïde movit seditionem: sed a copiis Aegyptiis victus, iussu Amedis obtruncatus est.

Tum et discordiae flamma, quâ Tulonidis et Movaffecis exarserant animi, tandem exstincta est. Movaffec enim, sive quoniam post diuturnum adeo cum Zingis, nunc demum devictis, certamen, pacem quam bellum malebat, sive Aegypti et Syriae Thoguriaeque Principis vires reformidans, Saidem, Mochalledis filium, aliosque e familiaribus iussit ad Tulonidem literas scribere, eumque reprehendere ob id, quod fecisset. Illi obtemperarunt, literisque, quas miserant, ut eum reconciliarent, perlectis Tulonides sensit, conscio illos et suadente Movaffece id fecisse: quare quum et ipse amaret concordiam, benigne respondit. Et haec responsa, ubi Movaffeci cognoscenda dederunt, hic eorum argumento laetatus, et quâ erat sagacitate intelligens, eum ideo tam benigne respondisse, quod se suasore et impulsore illos scripsisse sciret, literas dedit se inimicitias in Tulonidem posuisse, et eorum, quae ante fecisset poenitere: rogare autem, uti hac de re illi scriberet. Chalifa hac animi mutatione gavisus, suâ manu ad Amedem scripsit, quo eum iuberet desistere ab inimicitiâ cum Movaffece; et simul literas fratris, quibus scripserat, se execrationem abrogasse, transmisit. Utramque epistolam perferendam dedit Hasani Itafi filio [a]: qui tamen quum Raccam venisset, Tulonidem iam mortuum esse accepit.

Morbo enim, quo laborabat, paulatim ingravescente absumtus est Maio mense anni octingentesimi octogesimi quarti, qui anni Arabum ducentesimi et septuagesimi est mensis penultimus. Annus aetatis erat nonus et quadragesimus, sextus decimus autem, quam Aegypto erat praefectus. Posteaquam vitae finem adpropinquare adparebat, Mohammedanos iussit cum Alcorane, Iudaeos cum Pentateucho, Christianos cum Euangelio, et magistros cum pueris in campum exire, et in monte Mocattamo ex ordine Deum pro se deprecari, dum Moham-

a Al Has n ibn Ithaf.

hammedani in templis Alcoranem legerent. Mortem praesentiens, manibus ad coelum sublatis, *Domine*, inquit, *miserere eius, qui sui pretium ignoravit, eumque experiri fac clementiam tuam.* Tum fidem professus his verbis: *Non est Deus praeter Allam, et Mohammed est Allae legatus:* exspiravit. Liberos reliquit tres et triginta, in his septemdecim filios. Haeredem regni scripserat Chomaruiam, et filium natu maximum, Abulfadlum Abbasum [a], exemtum e vinculis et chlamyde ornatum, omnibus praeposuerat provinciis Syriis Thoguriaeque, et multum hortatus erat ad verecundiam Dei et obedientiam erga fratrem. Ante obitum e custodiâ quoque Baccarem emisit, qui tamen ei non multum amplius uno mense supervixit, et prope Fostatum sepulcrum habuit celebre. Amedes sepultus est in monte Mocattamo. Ubi autem Chalifa ex reverso Hasane Itafi filio nuntium de Tulonidis morte accepit, ingenti luctu defunctum prosecutus carmen contexuit, cuius haec erat sententia: *Cum Deo querimini de dolore, qui sicut hastae ictus me invasit ob strenuum virum, in quo praestantia cernebatur virilis. Ignis est, cuius flamma extincta; et nubes pluviae paucae. Queritur de eo imperium meum, nam decori erat imperiis.* Ita tum Motamed cecinit, qui siquidem ex paucis versibus ingenium aestimari possit, poeta quam Imperator melior fuit.

Reliquum est, uti paucis, quid Luloï deinceps evenerit, memorando exsequamur. Postquam, ut supra memoravimus, copias cum Movaffecis agmine iunxerat, ut communi animo consilioque cum Zingis rem gererent; illius potissimum ope hi tandem hostes subacti sunt anno octingentesimo tertio: quin ipse principem eorum occidisse dicitur a Kemaleddine, historiae conditore inter Arabicos celebri. Tulonides autem postquam profectus in Syriam Luloëm iam aufugisse cognoverat, et totum eius gynaeceum et opum partem Damasci relictam ceperat, Fostatum reversus liberos eius et uxores pellicesque vendidit in foro servorum. Quod ubi comperit ille, vehementer commotus, prae irâ et moerore lacrymas fundens, Movaffecem adiit et rogavit, ut copiae secum mitterentur, domini terras subacturum se spondens, et de hero loquens prorsus licenter. Motamed iam ad Tulonidem scripserat, quo eum reconciliaret. Quapropter Movaffec responsum exspectans, Luloëm equo et chlamyde donat,

a Aboul Fadhl Al Abbas.

nat, exercitum comparari iubet, sed vanis promissis et prolatando eum illudit; oderat enim perfidiam hominis, eique propositum erat, postquam relatum esset responsum, illud ad herum transmittere. Sed quum Hasan Tulonidis mortem renuntiasset, triennium inde Luloës in Movaffecis ministerio mansit, tum vero ab eo in vincula coniectus est et bonis spoliatus. In thesauris eius tum inventa sunt ad quadringenta aureorum millia: et Luloës dictitabat, se non alius sibi peccati conscium esse, praeterquam quod multa bona possideret. Dehinc res eius sensim dilapsae sunt, donec ad summam est redactus inopiam. In extremo regni Haronis Chomaruiae filii cum unico servo in Aegyptum rediit. Is, ut Novirius ait, est fructus perfidiae et ingrati erga beneficia animi.

Atque ita de vita Amedis Tulonis filii et rebus sub eius imperio gestis absolvisse videmur; de ingenio quoque et moribus breviter exposuimus initio summae totius: postremo nunc loco quaedam de homine omnino addamus, quae alibi vix satis commode inseri potuerunt. Physiognomon erat peritissimus, uti siquando hominem intuitus esset, statim coniecturâ eius mentem adsequeretur. Non omnem negotiorum curam aliis relinquebat, ipse in desidiâ vitam habens luxuriosam, sed ea aut ipse obibat, aut procuratores suos diligenter inspiciebat. Doctos amabat eorumque celebrabat conventus. Alcoranum tenuisse fertur memoriâ. Sed praecipue laudabatur liberalitas eius et munificentia. In egenos, modestos, infirmos, pauperes et afflictos erogabat singulis sive hebdomadibus, sive mensibus statam bis mille aureorum summam, in templorum ministros quovis mense decies mille aureos. Quin, quod fidem paene superat, duodecies centena millia aureorum una vice ad homines pios doctosque Bagdadenses muneris loco misisse fertur. Haec, quae diximus, perfecit omnia, praeter multas alias largitiones, quae ex votis susceptis faciebat, sive ut gratum animum significaret pro novis a Deo in se collatis beneficiis; praeter epulas quoque, quae quotidie in palatio eius et alibi instruebantur ex bubulâ et caprinâ carne, pane et placentis. Ubi paratae essent, propalam proclamabatur: Qui venire velit ad prandium in palatium Principis, venito. Tum portis apertis, populus intrabat. Ipse Amedes e conclavi, quod memoravimus supra, despiciens, pauperum edentium et auferentium delectabatur laetitiâ: et bonitatem divinam laudibus gratibusque venerabatur. Sed liberalitas eius optime intelligitur ex memoriâ sequenti. Dixisse ei aliquando fertur Ibrahîmus filius Cara-

ta-

tagânis[a], donationum eius procurator: *Adiuvet Deus Principem: quum stamus ad dispertiendum eleemosynas, saepe ad nos porrigitur manus formosa, cypro picta, et carpus armillis induta, sicut manus annulo; arceamne id hominum genus?* Sed Amedes, *Heus tu*, inquit, *quicunque manum porrigat, ei dato. Haec est illa modesta hominum classis, cuius Deus optimus maximus in libro suo mentionem facit, ubi dicit: Aestimat eos imprudens divites ob modestiam. Tu vero cave ne repudies manum, quae protensa est ad te, atque des omni, qui stipem a te petat.* Sed mirabitur aliquis, praeter annuum tributum in Iracam missum, et ingentem adeo, ut ex historiâ patuit, in aedificia publica sumtum ac munificentiam, eum tantam sustinuisse insuper liberalitatem. Neque vero illa munificentia in eis rebus solis, de quibus diximus, occupata fuit: nam praeterea Ioppe arcem exstruxit, quae antea ibi non fuerat, et Ptolemaidem in ipso mari, instar Tyri, munivit: quibus omnibus tamen facile par fuit, cum vectigalia ad eum quotannis quadragies centena millia amplius denariûm aureorum conferrentur. Et exinde quoque intelligitur, quo factum sit, ut reliquerit tam immensas divitias: videlicet centies centena aureorum millia; servorum armatorum septem, reliquorum quatuor et viginti; equorum septem, camelorum decem, asinorum et mulorum sex millia; naves longas cum armamentis centum; supellectilis, tapetum, utensilium, vasorum, rerum aliarum, multitudinem innumerabilem. Retuli ut inveni in libris Arabicis, licet non ignarus sim, numeros augere moris esse illius gentis scriptorum, et omne, quod nimis auctum et amplificatum sit, dici solere orientale. Ceterum constat, ut ditissimum, sic largissimum fuisse. Hanc vero, a Mohammedanis in primis magni aestimatam virtutem, atque alias maximas, non paulum obscuravit temeraria nimis et inhumana crudelitas; et numerus hominum, qui iussu eius interfecti sunt, aut in carcerem conditi obierunt, ad duodeviginti fertur fuisse millia. Hoc ex moribus gentis suae servaverat. Chaïlem quoque, sive, quod idem nomen est, Michaëlem, Christianorum Iacobitarum Alexandriae ab anno octingentesimo octogesimo primo patriarcham, haud parum vexavit. Causa huiusmodi fuit. Cuidam episcopo, Sacae nomine, homini improbo, ob violatas caerimonias munus abrogatum erat. Irâ et vindictae cupidine aestuans, Fostatum ad Tulonidem profectus, et questus de iniuriâ, ut

a Ibrahim ibn Karathagan.

ut sibi videbatur, multa bona patriarcham (hunc enim petebat) possidere falso testatus est. Tulonides tunc expeditionem parabat in Syriam, et pecuniae indigens, nummorum avidus erat: nam illis temporibus per Hasanem quendam a solitâ liberalitate, aliquamdiu saltem, eum abductum fuisse, narratum est supra: quare arcessito Michaëli imperavit, ut, quandoquidem Christianis praeter alimenta et vestes nihil opus esset, pecuniam, quam magnam haberet, supellectilem auream, argenteam, Sericas et Phrygias vestes, sibi daret Chalifae, summo regionis domino, deferendas, certus si ita faceret, gratiam omnem apud hunc et apud se consecuturum. Nequidquam testatus patriarcha, nullam se habere pecuniam, omniaque calumniâ fuisse conficta, quae Saca ad eum detulerat, in carcerem est coniectus: ubi per annum integrum vitam in ieiunio et precibus duxit, socium habens virum quendam e Christianis nobilem, Mondiridis [a] nomine: qui illi panem, sal, et olera macerata subministrabat. Joannes et Abrahamus filii Mosis, qui scribae Amedis erant, frustra ab eo petierant, ut e carcere educeretur, in liberâ custodiâ domi suae eum habituros polliciti: quod tamen impetratum est et confectum a Ioanne Veziri scribâ, qui tandem ab hocce obtinuit, ut Tulonidi suaderet, ne diutius in patriarcham saeviendo Christianos turbaret, verum conaretur ab eo, quantam fieri posset, extorquere pecuniam. Id valde placuit; et patriarcha pro libertate pollicitus est, se viginti denariûm aureorum millia duabus pensionibus persoluturum esse, dimidiam partem intra mensem, alteram intra menses quatuor. Ioannes et Macarius, eius filius, sponsores facti: et ita patriarcha eis commissus est. Ille in domum eorum devertere noluit, sed recepit se in Sanctae Mariae prope Casresschamam [b], quod castellum et regio est in urbe Fostato, ibique mansit dies viginti; primoribus Iacobitarum ad eum quotidie venientibus quidem, ac cibum et cetera ad vitam necessaria suppeditantibus, sed nullam pecuniam. Iamque mensis constitutus ferme praeterierat, quum consilii inopi ac desperanti patriarchae primores illi persuaserunt, ut decem episcopos in totidem loca eius ordinis etiam tum vacua, pactâ certâ pecuniâ, cooptaret. Dein Ioannes et Macarius, aliâ a Mohammedanis et ipso Veziro acceptâ foenere, decem aureorum millia in aerarium Amedis detulerunt, iurati et testificati, ne drachmam quidem e facultatibus patriarchae numeratam fuisse: sed nihil impetraverunt, prae-

a Ibn Al Mondir. b Kasr Al Schama.

praeterquam quod redditâ viginti millium aureorum syngraphâ, nova pro summâ reliquâ facta sit, cui praeter Ioannem et Macarium duo alii subscripserunt. Posthac decrevit episcoporum collegium, uti ad colligendam pecuniam mutuatam, et quae Tulonidi debebatur, singuli Christiani auri scripulum solverent. Sed huius tributi et pecuniae ab episcopis pro creatione exactio grave habebatur delictum, atro Simoniae nomine notandum, et ne necessitate quidem excusabile. Dehinc aedem vicinam templo Moallacae in Casresschamâ, fundos prope Fostatum Habessiorum nomine cognitos, et, quod vix impetravit, domus quasdam ad aedes sacras Alexandrinas pertinentes, Iudaeis patriarcha vendidit, atque tum hinc, tum eleëmosynis, variisque exactionibus, conflatâ pecuniâ, tandem decem aureorum millia praefecto persolvit. Eo loco res erat: decem millia etiamnum debebantur. Sed post paulo Tulonides naturae concessit, et statim post eius obitum patriarchae reddita est aureorum decem millium syngrapha. Ita servatus est.

Abulabbaso Amedi Tulonis filio successit natus ejus Chomaruia, qui paternum imperium, ut Abulfaragius ait, felicissime optimeque administravit.

TESTIMONIA.

Ad paginam 1 et 2.] De occasu imperii Arabum, et Turcis ruinae auctoribus multa egregie monuerunt Eusebius Renaudotius, in Historiâ patriarcharum Alexandrinorum, ubi agit de Chaïle secundo, patriarchâ sexagesimo sexto, et Deguignesius in exordio historiae Tulonidarum, quam inseruit tomo secundo operis, quod Gallice conscripsit, Historiae universalis Hunnorum, Turcarum, Mogolum, et Tatarorum occidentalium.

Pag. 2. v. 20.] الطغرغر scribitur in omnibus Macrizii codicibus, in Noveirîo aliisque, quos inspexit Freitagus: alii habent البغرغر, quod omnium pessimum est, et corruptum ex التغزغز, ut est in Haucalide, invenitque Herbelotius, qui de sede tribus quaedam refert in voce Tagazgaz, tum plura et diligentius Deguignesius in libro Historiae Hunnorum octavo. Haucalides haec habet: ومن العراق الي نهر بلخ نحو شهرين ومن نهر بلخ الي اخر الاسلام في حدّ فرغانة نيف وعشرين مرحلة ومن هناك الي ان تقطع ارض الخرلخية كلها وتدخل في عمل التغزغز نيف وثلثون مرحلة ومن هذا المكان الى البحر المحيط ومن اخر عمل الصين نحو شهرين. Pro خرلخية Herbelotius legit خرلجية, et pro التغزغز unum punctum plus التغزغز. Quid horum sit verius, definire nequeo. [Fraehnius, Vir Celeb. in notis ad fragmentum Ibn Foslani p. 30. docte, ut solet, et accurate de variis scriptionibus nominis تعرعر egit. Ipse praefert scripturam تغزغز vel طغزغز, eamque corruptam esse existimat, ex توغز vel طوغز i. e. *Tongus*. At si revera Turcae fuerint Thoulounidae, et ex tribu Thagargar originem duxerint, de Tongusis hic cogitari posse non videtur, quippe qui non ad Turcicam, sed ad longe diversam stirpem pertinent, ut ex glossariis, in *Asia Polyglotta* Klaprothii editis, intelligitur. H.]

De Noe Asadi filio, Samanida, videatur idem auctor in voce *Samaniah*.

Ibid. v. 22. seqq.] في ما كان موضعا (موضوعا .l) عليه من المال والرقيق والبراذين وغير ذلك في كل سنة وذلك في سنة مايتين. Ita in duobus legitur Macrizii codicibus, sed in tertio, cui inscriptus est numerus 371, loco verborum, quae postrema leguntur, وذلك في سنة مايتين, habetur ثمانين, ut vertendum sit, *quotannis octoginta*; verum mendum est, e similitudine ortum verborum ذلك في كل سنة, et وذلك في سنة; quae cum omissa fuissent, postea مايتين mutatum est in ثمانين.

So.

Soiutensis alios narrare ait, Tulonem ad Raschidum missum esse, anno 190; mortuum 230, Amedem natum 214: verum omnes fere auctores Macrizio consentiunt. [In Turcico Chronico تاريخ منجم باشي inscripto, cujus usum benevolentiae et liberalitati Illustr. D'Ohssonii debemus, legitur secundum nonnullos Thoulounum A. 230 defunctum, Ahmedem A. 219 natum esse. H.]

Pag. 3. v. 2.] Natus est Amedes anno 220 Arabum, die mensis noni vigesimo tertio. Hoc testantur Noveirius, et Chalicanides.

Ibid. v. 3.] De Asaceride, historico Damasceno, videatur praeceptor meus, in Specimine catalogi codicum manuscriptorum orientalium, loco in indice notato.

Non magna profecto est senis illius ignoti auctoritas, ab Asaceride laudati: sed debile quoque argumentum pro contrario, quod a Freitago memoratur, Movaffecem, quum Amedi, ut infra narrabitur, in suggestibus malediceret, eum Tulonis filium, nec vero Malihi, appellasse: ac si scilicet Movaffec hoc ignorare non potuisset, aut alia de caussa tacere.

Pag. 3—5.] Quae hic narravimus, quum in nullo legantur libro edito, verbis Noveirii confirmare liceat: قال فنشا احمد نشاة جميلة من بعد الهمّة وحسن الديانة وطلب الحديث وصحبة اهله والاختلاط بهم وخرج مرارا الي ثغر طرسوس ولقي جماعة من مشايخ الحديث النبوي صلوات الله تعالي وسلامه علي قايله فاخذ رحمه الله عنهم وسمع منهم وكتب العلم وانف بثغر طرسوس جماعة من الزهاد والعباد اهل الدين والورع والخير والصلاح فتادّب بادابهم وتخلق باخلاقهم فحسنت طريقته وظهر فضله وارتفع محله عند وجوه الاتراك فصار محل من يوثق به ويعتمد عليه ويوتمن علي الاموال والاسرار . . . . ثم سال احمد الوزير عبيد الله بن يحيي بن خاقان وزير المتوكل علي الله ان يكتب له رزقه علي ثغر طرسوس وعرفه رغبته في المقام به فاجابه الوزير الي ذلك وكتب رزقه علي ثغر طرسوس فخرج الي الثغر واقام به مدة فشقّ ذلك علي امّه وتالمت لفراقه فكاتبته في الرجوع فلما قفل الناس من سر من راي قفل معهم وكانوا نحو خمس مايه رجل في جملتهم خادم ابعثه الخليفة المستعين بالله ابو العباس احمد بن المعتصم بالله الي بلاد الروم ليبتاع له الطافا وتحفا منها كان ملك الروم قد منع التجار وغيرهم من الخروج بها الي بلاد العرب فتحيل المستعين علي ذلك وبعث الخادم برسالة اليه فابتاع في غضون الرسليّة ما امره به وحمله الخادم معه علي بغل وتحيل في اخراجه ووصل الي سامرا فلما سار منها وتفرق القفل في بعض المواضع التي يامنون فيها فخرج علي بعضهم طايفة من الاعراب فنهبوا ما فيها فكان البغل في جملة ما اخذه الاعراب فلما وصل الخبر الي الطايفة التي فيها احمد بن طولون كان اول من انتدب وركب في طلب الاعراب ثم تبعه الناس وقاتل قتالا شديدا حتى استعاد منهم ما اخذوه ورجع به وقد كادت نفس الخادم تزهق لما فقد التحف فلما احضرها احمد اليه قبل وجهه وعظّمه وكبر اديه وفي قلوب اهل القافلة فلما وصلوا الى العراق وعرض الخادم ما معه من التحف

استحسنها المستعين فاخبره الخبر وما كان من احمد في استرجاعه التحف فامر له بالف دينار وقال للخادم امض بها اليه سرا وقل له عني لولا خوفي عليه ان يعلم محله عندي بحسد ويقتل لبلغته افضل مراتب امثاله فاوصله المال فعرفه الرسالة وبقي المستعين بالله يلاحظه اذا دخل عليه في جملة الناس ويصله حتي حسنت حاله ووهب له جارية فولدت له ابنه ابا الجيش خمارويه في النصف من المحرم سنة خمسين ومايتين*

Macrizius eandem rem narrat, sed nunc omittit nonnulla, nunc addit, nunc mutat. Ceterum ad Noveirii verba quaedam observanda sunt. In principio بعد الهمة, *longinquitas ingenii*, eius esse videtur, qui mente valet vastissima, tamque acuta, uti vel altissima penetret. In codice pro صحبة male legitur صحبه. Vox رحمه ante الله ita scripta est in codice, ut pronunciare possis نعمة, *donum divinum:* sed prius praetulimus. Pro والخير etiam scribi potest والخبر, *et scientia.* Quod verbum scriptum erat post والاسرار, tempore deletum est. Loco praepositionis من ante سر من راي rescribendum fortasse est الي, uti habet Macrizius in eadem prorsus sententia. Quod in sequentibus legitur ووصل الي سامرا فلما سار منها, sensu caret: Samarra enim itineris finis fuit. Librarius forte Samarram Tarso substituit. خادم ابعثه rescripsimus pro خامدا بعثه, quod est in manuscripto. غضون الرسليّة significat, *Interea dum legationem perageret.* Vox رسلية adiectivum videtur, quod formatum sit a رسل.

Nomen Turcae, quem Barechuchum appellavimus, varie scribitur in codicibus. In Macrizii exemplis est vel بارخوخ, quod nos sequuti sumus, vel بارجوج, vel بارجور. Freitagus pronunciavit Iarcuhus, quod esset ياركوح: tametsi vero bis ita scripserit, fortasse mendum est vel scriptoris, vel operarum, pro Iarchuhus, يارخوح. In Noveirii codice nomen sine punctis diacriticis scribitur. Dedimus autem Barechuchus, non Barchuchus, ut satisfieret linguae Arabicae legibus.

Pag. 5—6.] Testimonium proferamus Macrizii: فلمّا خلع المستعين وبويع المعتز اخرج بالمستعين الي واسط واختار الاتراك احمد بن طولون ان يكون معه فسلم اليه ومضي به فاحسن عشرته واطلق له التنزه والصيد وخشي ان يلحقه منه احتشام فالزمه كاتبه احمد بن محمد الواسطي وهو اذ ذاك غلام حسن الشاهد حاضر النادرة فانس به المستعين ثم ان قبيحة ام المعتز كتبت الي احمد بن طولون بقتل المستعين وقلدته واسط فامتنع من ذلك وكتب الي الاتراك يخبرهم بانه لا يقتل خليفة له في رقبته بيعة فزاد محله عند الاتراك بذلك ووجهوا سعيد الحاجب وكتبوا الي ابن طولون بتسليم المستعين له فتسلمه منه وقتله فواراه ابن طولون وعاد الي سر من راي*

Pro التنزه codex 372 habet الميرة; sed male, ut apparet ex codicibus non tantum duobus reliquis, sed etiam Noveirio, qui in eadem narratione eodem utitur verbo. De phrasi

في

في رقبته videatur Freitagus in notis ad excerpta ex historia Halebi. In codice illo, quem supra citavimus, est ذمته.

In exponendo modo, quo interfectus est Mostainus, auctorem sequor Noveirium, qui ita scribit: ففعل ذلك واحضر القاضي والشهود وسلمه له فتسلمه سعيد بن احمد واخرجه من وقته الي الصحرا وضرب له خيمة وادخله اليها واقام ساعة وخرج والقي الخيمة عليه وركب من وقته ورجع فلما بعد اتي احمد بن طولون الي الخيمة واحمد بن محمد الواسطي فرفعاها فاذا جثة المستعين مطروحة علي الارض فلم يزل احمد قايما علي قدميه الي ان غسل جثته وكفنها وصلي عليه ودفنه ورحل الي سامرا *

Pro واحمد بن محمد in codice manuscripto est ومحمد احمد بن محمد, sed mendose: nam in eadem pagina nomen scribitur, ut in Macrizii codicibus, quos equidem secutus sum. Ceterum Mostaini mors varie narratur, quemadmodum apparet ex historia Arabum, quae conscripta est a virorum doctorum societate in Anglia.

Pag. 5 extr.] Abderramen Soiutensis narrat: فلما ولي مصر قال لقد وعدني الاتراك ان قتلت المستعين ان يولوني واسطا فخفت الله ولم افعل فعوضني ولاية مصر والشام وسعة الاحوال *

Cum Mousa iste vir esset strenuus et fortis, Ibn Djaigawiyyah, qui Ibn Thoulouni nomine Harranem curabat, in timorem et perturbationem incidit. Interea ad eum accessit vir quidam ex Arabibus, nomine Ibn al Garri et, Cur, inquit, ab impetu Mousae tantopere tibi times? Nam licet strenuus sit, at nihilominus torpido et perturbato est animo, nec firmus est et stabilis. Si vis, proficiscar et illius caput avulsum coram te afferam. Ibn Djaigawiyyah hunc sermonem audacia plenum miratur. Quidquid vis, inquit, illud perage. Tum astutus ille ex militibus viginti tantum viros elegit bello assuetos et ad Mousae castra profectus, comitum suorum nonnullos in insidiis collocat, praecipiens illis

ut

ut simulac certum signum dedisset, ad impetum faciendum consurgerent. Ipse cum reliquis, qui eum sequebantur, castra ingressus, ad locum penetravit Mousae tentorio vicinum, et cum in media usque castra pervenisset, non sine dolo et arte se admovens nonnullos equos, qui funibus alligati stabant, vinculis liberat et clamore sublato terrefacit. Exercitus (hostium) qui negligenter agebat, trepidare coepit et hoc tumultu maximopere conturbari. Mousa vero stratis exsiliens, equum conscendit et veteratorem, qui coram eo fugam simulabat, temere insequitur, et longius a castris suis discedit, Arabe eum sensim ad locum insidiarum pertrahente. Qui cum ad locum opportunum pervenisset, subito se convertit, et (ut rem summatim exponam) Mousam capiunt, et vinculis constrictum ad Ibn Djaigawiyyam ducunt. Hominis vafri audaciam et fortitudinem omnes admirati sunt. At Ibn Djaigawiyyah Mousam misit ad Thoulounidem, qui captivum abducens cum suo exercitu in Aegyptum rediit. H.]

Pag. 37. v. 9 seqq.] De Abbasi seditione pauca habet Freitagus, qui tamen perperam eum Abulabbasum nominat, quod cognomen est Amedis patris: pauca etiam habet Deguignesius. Nos auctores secuti sumus Macrizium ac Noveirium.

Ibid. v. 11 et seqq.] Noveirii haec sunt verba: وحمل معه احمد بن محمد الواسطي كاتب ابيه وايمن الاسود مقيدان (مقيدين .l) فلما رجع احمد الي مصر وجده قد اخذ الفي الف دينار واستسلف من التجار ثلثماية الف دينار وامر صاحب الخراج ان يضمها (يضمنها .l) لهم. ففعل *

[Ibid. v. 29. Illius Elyasi sectaeque Ebadhidarum (الاباضية), cui praefuit, in editis libris historicis aut rara aut nulla mentio est. Ex Makrizio, qui peculiari capite de variis sectis Moslemicis disserit, disco, Ebadhitas pertinere ad Kharedjitas (الخوارج), i. e. ad rebelles et haereticos, et nomen accepisse ab Abdalla ibn Ebadh ex filiis Makaïsi, cujus verum nomen fuit al Harets ibn Amrou, qui adversus Merwanum ibn Mohammed ultimum Khalifam Ommayadicae gentis rebellaverat, et, ut Schehrestanius addit in suo de religionibus libro MS. 587 (447), ab Abdalla ibn Mohammed ibn Athiah (عطية) adversus eum misso, sagitta interfectus est. Alii contra ab Obadho, vico agri Yemamae, Obadhitas appellandos arbitrantur. Sed harum literarum studiosi ipsa Makrizii verba inspiciant, a nobis hic descripta: الاباضية اتباع عبد الله بن اباض من بني مقاعس واسمه الحرث بن عمرو ويقال بل ينسبون الي اباض بضم الهمزة وهي قرية بالعرض من اليمامة نزلها نجد بن عامر وخرج عبد الله بن اباض في ايام مروان وكان من علاة الحكمة. H.].

Pag. 38. v. 3 et seqq.] Versus ad speciem tertiam pertinentes Arabice ita se habent:

لله [a] دري اذا [b] اعدو علي فرسي الي الهياج ونار الحرب تستعر*
وفي يدي صارم افري [c] الرووس به في حده الموت لا يبقي ولا يذر*
ان كنت سايلة عني وعن خبري فها انا الليث والصمصامة الذكر*

من

من آل طولون اصلي ان سألت فما فوقي لمفتخر بالجود مفتخر
لو كنت شاهدة كري ببلدة اذ بالسيف اضرب والهامات تبتدر
اذا لعاينت مني ما [d] تنادره عني الاحاديث والانباء والخبر

a In codicibus 372 et 276 est ذري.

b Ita rescribere iussit praeceptor pro حدوا, quod est in codice 371, et اعدوا, quod in 372, et عدوا, quod in 276.

c الروس est in codicibus 276 et 372, النفوس in 371.

d تبادره est in codicibus 276 et 371.

Pag. 38. v. 22 seqq.] Coniungere studuimus varias Noveirii et Macrizii narrationes. Hic ita loquitur: وادركوا العباس لاربع خلون من رجب وعاد احمد بن طولون الي الفسطاط لثلاث عشرة خلت منه وقدم العباس والاسري في شوال ثم اخرجوا اول ذي القعدة وقد بنيت لهم دكة عالية فضربوا والقوا من اعلاها. Sed Noveirius habet: واخذ اسيرا وحمل الي ابيه فحبسه في حجرة في الدار الي ان قدم العسكر ببقية الاسري من اصحابه فلما قدموا احضرهم احمد عنده والعباس معهم وامره ان يقطع ايدي اعيانهم وارجلهم ففعل ذلك فلما فرغ منهم وبخه ابوه وذمه وقال له هكذا يكون الرييس والمقدم كان الاحسن انك القيت نفسك بين يدي وسالت الصفح عنك وعنهم فكان ذلك اعلي لمحلك وكنت قضيت حقوقهم ثم امر به فضرب مائة مقرعة ودموع احمد تجري علي خده رقة لولده ثم رده الي الحجرة واعتقله وذلك في سنة ثمان وستين ومايتين*

[Probabilior fortasse nonnullis alia rei exponendae ratio videbitur, quam Monadjdjem Baschi in suo Chronico secutus est: nempe non ab ipso Abbaso pedes manusque rebellium abscissos, sed eo praesente et intuente supplicium de iis sumtum esse; dein Ahmedem truci vultu se convertisse in filium, ejusque atrocitatem his verbis castigasse: ايتديكك عصيان قباحتي شويله دورسون شو ادملركه سنك اوغروكه جان وباش فدا ايدرلردي بن شمدي بونلره سياست فرمان ايتدكده سن طوروب سيره باقدك سكا واجب ايدي كه بنم اياغيمه دوشوب هم كندكك وهم بونلرك جرملريني عفو رجا ايده سن اننديلك اتباع پرورلك بويله مي اولور يارق سكا. *Procul absit turpe facinus quod perpetrasti. Dum ego ab his viris, qui tuae caussae animum corpusque devoverant, supplicium sumerem, tu adstitisti illudque ita contemplatus es, quasi jucundum spectaculum foret. Decebat te potius ut ad genua mea provolutus delicti et a te, et ab illis, commissi veniam peteres. Hoccine imperatoris officium est, qui subditos suos conservare tenetur? Vae tibi misero!* H.]

Pag. 39. v. 1 seqq.] Quae de incursione in fines Graecorum narravimus, a Deguignesio petivimus, qui ita mox pergit. *Ensuite Ahmed marcha contre Ahmed fils de Modabber, qui étoit son receveur des tributs dans Damas et la Palestine, il le fit prison-*

sonnier, s'empara de tous ses biens et ne lui rendit la liberté que pour une somme de six cens mille pièces d'or. Hic ipse ille, ut videtur, fuit Amedes Modabbarides, cujus tanta cum Tulonide in Aegypto fuit contentio, quemque supra memoravimus fratrem rogasse, curaret ut provincias Palaestinam, Jordaniam et Damascenam obtineret. Obtinuisse eum nullibi legimus, sed ex hoc Deguignesii loco colligere licet. Historiae tamen id non inseruimus, quoniam de tempore, quo acciderit, dubitandi est causa: nam ait Deguignesius, Simae invasionem factam fuisse anno a fugâ Mohammedis CCLXVII, quaeque post illa de Modabbaride narrat, evenisse anno sequente. Enimvero utroque hoc anno Tulonides occupabatur bello cum Abbaso filio, ut ipsum saltem interea agmen Damascum movisse non videatur probabile.

Pag. 39. v. 6 et seqq.] Refert Noveirius in historiâ Tulonidarum: ذكر خلاف لولو علي احمد كان سبب ذلك ان الحسين بن [a] مهاجر [b] غلب علي احمد بن طولون وحسّن له جمع الاموال ومنعه من سماحته وحزّنه علي عوايده الجميلة فنفرت القلوب عن احمد وتغيرت الخواطر عليه فتنكّر لـه غلامه لولو وكان عمدته عليه وكان في يده حلب وحمص وقنّسرين وديار مصر*

a Duae literae huius nominis postremae non satis clare sunt scriptae in codice. Ceterum homo mihi plane ignotus est.

b *Vicit*, nimirum rationibus; hoc est, *persuasit.* [Potius *multum auctoritate valuit apud Ahmedem.* Belgae Arabica satis accurate exprimentes dicerent: *hij vermogt veel op Ahmed.* H.]

Ibid. v. 11 seqq.] Haec narrat Freitagus in notâ ad Kemaleddinem 178.

Ibid. v. 19 seqq.] Quae sequuntur, ex Noveirio praesertim petivimus, praeter quem et Macrizium de Luloïs defectione et certamine inter Tulonidem et Movaffecem conferendi sunt Elmacinus, Abulfeda, Deguignesius, Kemaleddin et Freitagus in notis 136, 142, 143 et 148.

Ibid. v. 30 et seqq.] Noveirius scribit: فكتب احمد الي المعتمد علي الله كتابا يقول انّي خايف علي امير المومنين من سوء يلحقه وقد اجتمع عندي ماية الف عنان انجاد وانا اري لسيّدي امير المومنين الانحدار الي مصر فانّ امره يرجع بعد الامتهان الي نهاية العزّ ولا [a] يهنّا لاخيه الموفق فيه شيئا ممّا نخافه عليه [b] وسيّر له قرين ذلك سفايج بماية الف دينار وذلك في سنة ثمان وستين ومايتين*

a Vox sine ullo puncto diacritico, ut vocant, in codice legitur. Proprie verba significare videntur: *Neque gratulabitur aliquis fratri eius Movaffeci de ulla re ex eis, quae illi metuimus:* hoc est: *Nihil fratri contra eum succedet.*

[b Verba illa: وسير له قرين ذلك سفايج بماية الف دينار equidem vertam: *Et misit ipsi una cum hoc nuntio hippoperas plenas* 100000 *aureorum.* Ejusmodi perae sive crumenae duae, quae continent mille thaleros, apud Turcas يوك *onus* appellantur (cf. Me-

 nins.

ninski in voce) quia hoc jumenti onus esse censetur. Apud Arabes nomen illis est سفينتان in duali. Plurale fractum سفاين debet descendere a singulari سفينة. H.]

Pag. 40. v. 9 seq. *qui aliquot etiam invasiones in terras Graecorum fecerat,*] Hoc e Deguignesio petivimus, qui eas factas refert anno Arabum 268.

Ibid. v. 14 et seqq.] Haec sumsimus ex Novcirii historia imperii Abbasidarum: ذكر سير المعتمد الي مصر وعوده قبل وصوله اليها * في [a] هذه السنة سار المعتمد نحو مصر وكان سبب ذلك انه لم يكن له من الخلافة الا اسمها ولا [b] ينفذ له توقيع في قليل ولا كثير وكان الحكم كله للموفق والاموال تجبي اليه فانف وضجر المعتمد من ذلك وكتب الي احمد بن طولون يشكو اليه من اخيه في السر فاشار عليه باللحاق به بمصر ووعده النصر وسير عسكرا الي الرقة يتنظرون وصول المعتمد اليهم فاغتنم المعتمد غيبة الموفق عنه وسار في جمادي الاولي ومعه جماعة من القواد فاقام بالكحيل يتصيد ثم سار حتي سار الي عمل اسحق بن كنداجق [c] وهو عامل الموصل وعامة الجزيرة فوثب اسحق بمن مع المعتمد من القواد فقبضهم وهم [d] ترك واحمد بن خاقان وخطارش وقيدهم واخذ اموالهم ودوابهم وكان صاعد بن مخلد وزير الموفق قد كتب اليه بذلك عن الموفق وكان سبب تمكنه منهم وصوله الي قبضهم انه اظهر انه معهم في طاعة المعتمد اذ هو الخليفة ولقيهم لما صاروا الي عمله وسار معهم عدة مراحل فلما قارب عمل احمد بن طولون ارتحل الاتباع والغلمان الذين مع المعتمد ومع قواده ولم يترك اسحق اصحابه يرتحلون ثم قال للقواد وهم عند المعتمد انكم قد قاربتم عمل ابن طولون والامر امره وتصيرون جنده وتحت يده افترضون ذلك وقد علمتم انه كواحد منكم وتناظروا في ذلك حتي ارتفع النهار ولم يرحل المعتمد ثم قال لهم قوموا بنا حتي نتناظر في غير حضرة امير المومنين فاخذ بايديهم الي خيمة له فلما دخلوا الخيمة قبض عليهم وقيدهم واخذ ساير من مع المعتمد من القواد ثم مضي الي المعتمد فعزله عن مسيره عن دار ملكه وملك ابايه وفراق اخيه الموفق وهو علي الحال التي هو بها من الحرب ثم حمله ابن كنداجق ومن معه حتي ادخلهم سامرا *

a CCLXIX.

b Male in codice legitur ينفد. Sensus proprius esse videtur: *Nec ullum ipsi mandatum penetravit in paucis aut multis.*

c Haec nominis scriptio, quae hîc et alibi invenitur, vera esse videtur. Saepius tamen brevius adpellatur كنداج, aut aliis modis corruptis. Cognomen Ishaco Kendagici filio fuit الجودي secundum codicem Macrizii 371, الخزري secundum 372, aut الخروي denique, secundum 276. [كُنْداجق etiam mihi recta nominis scriptio esse videtur. جق apud Turcas est signum diminutivi, كُندا apud Persas *bellicosus*. Hinc igitur كُنداجق, more sequioris aevi ex utraque lingua compositum, erit *parvus heros*. H.]

d No-

d Nomina haec sunt trium hominum mihi ignotorum, nec locus integer esse videtur.

Pag. 41. v. 28 seqq.] Verba Macrizii sunt: فامر ابن طولون بكتاب خلع فيه الموفق من ولاية العهد لمخالفته المعتمد وحصره اياه وكتب فيه انّ ابا احمد الموفق خلع الطاعة وبري من الذمّة فوجب جهاده علي الامة *

Pag. 42. v. 5 et seqq.] Refert Noveirius in historiâ Abbasidarum: وفيها لعن المعتمد احمد بن طولون في دار العامة وامر بلعنه علي المنابر وولي اسحق بن كنداجق علي اعمال ابن طولون وفرض (وفوض .l) اليه من [a] باب الشماسية الي افريقية [b] وولاه شرطة الخاصّة وكان سبب تغيّره علي ابن طولون انه قطع خطبة الموفق واسقط اسمه عن [c] الطرز فتقدّم الموفق الي المعتمد بلعنه فلعنه مكرها وكان المعتمد في الباطن مع ابن طولون. Et Macrizius habet: فبلغ ذلك الموفق [d] فكتب الي اعماله بلعن احمد بن طولون علي المنابر فلعن عليها بما صيغته اللهم العنه لعنا يقلّ حدّه ويتعس جدّه واجعله مثلا للغابرين انّك لا تصلح عمل المفسدين *

a Est porta Bagdadi, quae nomen duxit a Schamasiâ, campo in superiori urbis parte. Conferatur Freitagius in nota ad Kemaleddinem 136.

b Corporis sui custodibus praefecit Ishacum Kendagici filium.

c Conferatur de hac voce et de ipsa re Reiskius in notâ ad Abulfedam 223.

d Ita loquitur Macrizius, quia tametsi, ut Noveirius narrat, ipse Chalifa id iussisset, frater tamen hoc ipsi imperasset.

Deguignesius scripsit: *Movaffec fit maudire Ahmed dans les prières publiques dans tous les pays où il avoit quelque autorité, surtout à Bagdad et dans l'Eraque: quelques Officiers d'Ahmed exécuterent ces ordres à Damas; leur chef étoit appellé Bazman.* Praefectum Thoguriae, quem nos Bazemazum adpellavimus, Deguignesius Bazmanem nominavit; et nihil est cur negemus, hunc ex edicto Movaffecis Tulonidem exsecratum esse. Enimvero hic non Damasci, sed in Cilicia commorabatur.

[Ibid. v. 12 seqq. Expeditionis adversus Meccam a Thoulounide susceptae obiter meminit Guignesius; uberior narratio, quae in textu legitur, Chronico Turcico Monadjdjimi Baschii debetur. H.]

Ibid. v. 19 et seqq.] Tradidit Noveirius in historiâ Tulonidarum: ذكر وفاة احمد بن طولون وشيء من اخباره وسيرته * كانت وفاته في الليل من ليلة الاحد لعشر ليال خلون من ذي القعدة سنة سبعين ومايتين قيل وكان سبب وفاته انّ نايبه بطرسوس [a] وثب عليه مازيار الخادم وقبض عليه واظهر الخلاف علي احمد فجمع احمد العساكر وسار اليه فلما وصل الي ادنة كاتبه وراسله واستماله فلم يلتفت مازيار الي سالته فسار احمد اليه وحصره [b] فخرق مازيار نهر البلد علي منزلة العسكر فكاد الناس يهلكون فرحل احمد حنقا وكان الزمان شتاء وكتب الي مازيار انّي [c] لم ارحل الّا خوفا ان ينخرق هدمة هذا الثغر ويطمع العدوّ فيه *

a Ita rescripsi pro وتب علمه, quod in codice est manu scripto, sed nullum sensum habere videtur. Vocibus نايبه بطرسوس significatur Chalfus Ferganius.

b Ita verbum pronunciavimus, quod sine punctis diacriticis in codice legitur: ceterum quid sit *lacerare fluvium*, equidem nescio. Forte hic librarii mendum est.

c Siquidem verba integra sint, transferenda videntur: *Non abeo*, *nisi metu*, *ne haec provincia*, *in extremis finibus sita*, *in partes dilaceretur*, *et hostis eam concupiscat*,

[Pag. 42. v. 20 sqq. Quod de Moawiae sepulcro ab Ahmede instaurato adjecimus, iterum ex Chronico Turcico Modadjdjimi Baschii repetitum est, cui tamen fidem habere non possumus illud ab eo factum esse perhibenti, quod Ismaëlitarum sectae faveret (اسماعيلية طايفهسنه ميل ايدوب). Quid enim Ommayadae cum Alidis et Ismaëlitis eorum asseclis, quorum nomen Ahmedis tempore nondum exstitisse videtur? H.]

Ibid. v. 29 et seqq.] Narrat hoc partim Deguignesius, sed haud supervacuum erit conferre Noveirii locum, ubi idem retulit in historia Abbasidarum: قال ابو الفرج بن الجوزي في حوادث سنة سبعين ومايتين ان الروم نزلت ناحية باب قلمية[a] علي ستّة اميال من طرسوس وهم زهاء مائة الف مع بطريق البطارقة اندرياس فبيّتهم بازمار الخادم ليلا فقتل رئيسهم وخلقا كثيرا من اصحابه يقال انهم بلغوا ستّين الفا واخذ لهم سبع صلبان من ذهب وفضّة فيها صليبهم الاعظم من ذهب مكلّل بالجواهر واخذ خمسة عشر الف دابّة وبغل ومن الزوج[b] مثل ذلك وسيوفا محلّاة بذهب وفضة ومناطق واربع كراسي من ذهب ومايتي طوق من ذهب وانية كثيرة ونحوا من عشرة الاف علم وذلك في يوم الثلثا لسبع خلون من شهر ربيع الاول[c] *

a Deguignesius prodidit: *En même-tems les Grecs étoient entrés à la tête de cent mille hommes dans la Syrie*, *et étoient venus assiéger la ville de Calamia située à six milles de Tharse.* Hinc اميال edidi pro امثال, quod in codice est manu scripto.

b Vox زوج hic significare videtur tegetem stragulumve quo operitur pilentum camelinum: quam potestatem tertiam ponit Golius.

c Accidit hoc igitur antequam Amedes Tarsum obsidione cingeret, nam tum hiems aderat.

[Ibid. Quae h. l. narrantur de expeditione et clade Graecorum digna sunt, quae comparentur cum Historicorum Byzantinorum testimoniis et accuratius expendantur. Secundum Constantinum Imp. in *Vita Basilii Macedonis* p. 176 sqq., quem cum alii secuti sunt Scriptores, tum vel maxime Cedrenus p. 575 sq., Andreas iste, hic a Nuweirio memoratus et ex Scytharum gente oriundus, non fuit Patricius Patriciorum, i. e. Πρωτοπατρίκιος, sed Patricius simpliciter, quam dignitatem, uti et Scholarum (i. e. satellitum Imperatoris) praefecturam consecutus erat ob praeclaram fortitudinem ipsius contra Saracenos, quo in bello deinceps non victus, ut Nuweirius ait, sed victor fuisse perhibetur. Cum enim aliquando Emirus Tarsensis Andream minacibus impiisque lite-

te-

teris provocasset, hic incensus ira et Jesum Mariamque laesae sanctitatis ultores advocans, in Ciliciam pergit et apud fluvium Podandum (Ποδανδὸν, Arab. بذندون) hostes magna clade profligat, ipso Emiro caeso, et ingenti praeda potitus, a Tarso oppugnanda tamen abstinet, quod sibi non satis virium esse arbitraretur. Hinc Andreae apud Imp. Basilium in invidiam adducto, quasi officio defuisset, sufficitur Stypiota quidam, rei militaris imperitus, sed qui pollicitus erat, se Tarsum brevi in potestatem esse redacturum. Qui cum ad locum, Χρυσοβοῦλλον appellatum, pervenisset, et secure ageret, noctu a Barbaris opprimitur, qui de improviso ingentem equorum multitudinem, quorum caudis sicca coria alligaverant, tubis lituisque concinentibus in aperta Graecorum castra immittunt, ipsi stricto gladio sequuntur, et hostes subito incursu perterritos internecione delent. Sic rem narrant Constantinus et Cedrenus, apud quos utrum Χρυσοβοῦλλον idem sit ac قلمية (sic enim teste Lex. Geogr. scribendum) apud Arabes, non definio: hoc vero agnosco, Orientales Andream cum Stypiota confudisse, et Nuweirii vel potius Ibn al Djouzii narrationem de hoc intelligendam esse. An vero ipsi credendum sit de Graeci exercitus numero, item de caede ducis (quem cladi superfuisse ex Leone Grammatico et aliis colligas) affirmare non ausim. Hoc vero Arabis illius beneficio novimus, quod annotare neglexerunt auctores Byzantini, hanc Stypiotae cladem ad A. 883 et ad diem 13 Septembris referendam esse: hic enim diei 7 mensis Rabiae primi Anni 270 respondet. At difficilius erit pronuntiare de tempore, quo illustris illa victoria Andreae de Tarsensibus acciderit. Si auctoribus Graecis, quorum testimonium excitavimus, credendum sit, non adeo magnum intervallum fuit inter rem ab Andrea bene gestam et cladem successoris. At si Leonem Grammaticum inspicias p. 474 et Georgium Monachum p. 548, praecipuam caussam, cur Andream ducem munere privarit Basilius Imp., hanc fuisse reperies, quod ipsum, ut conjurationis a Leone in patrem factae participem, apud Principem detulissent inimici. Quae si vera sint, quid impedit, quominus ea opportunitate usi sint obtrectatores, ad res jam ante aliquot annos ab Andrea in Oriente gestas, carpendas. Huc si accesserit, quod Tarsenses eodem loco, nempe apud Podandum flumen, ab Andrea fusi sint, quo Abdallah ibn Raschid, anno 264, ut est apud Abulfaragium *H. D.* p. 271, vel ut in *Chron. Syriaco* legitur p. 171, anno 266, i. e. vel sexennio, vel quadriennio, ante Stypiotae cladem, a Graecis, toto paene exercitu deleto, captus sit, forte mecum existimabis, hanc cum Abdalla pugnam eandem esse, quam Graeci, Andreae virtutem celebrantes, memorarunt. Si enim haec duo proelia diversa sint, non adeo miror, quod Arabes hic, ut saepe, cladem suam silentio praeterierint, quam quod Graeci suam victoriam illaudatam reliquerint. Opinioni meae hoc unum obstare videtur, quod Arabum Dux non, ut Graeci perhibent, occisus sit, sed in hostium manus pervenerit. Verum in ejusmodi rebus saepius erratum esse, argumento est cum exemplum Stypiotae, quod modo vidimus, tum aliud certius etiam Bazmazi, (uti hic appellatur) Tarsensium Emiri, qui Stypiotam fuderat. Hunc enim narrant Constant.

 Imp.

Imp. *in Vita Basilii* p. 184, Cedrenus p. 580 sq. et Zonaras p. 171, victoria elatum, haud ita multo post, regnante adhuc Basilio, i. e. inter A. 883 et 886, cum triginta navibus longis Chalcidem in Euboea magna vi oppugnasse et ad extremum eruptione oppidanorum illius copias fusas, ipsum interfectum esse. Contra auctores laudd. a Freytagio in notis ad Kemaloddinum p. 105. n. 162, affirmant, anno adhuc 278 vel 279 (A. 891 — 893) Bazmazum vixisse, eoque demum anno periisse in obsidione ignotae cujusdam urbis Schalinda vel Saled. Quorum scriptorum testimonium insigniter illustrat et amplificat تاريخ منجم باشي, in quo ad A. 278 de Bazmazi interitu sequentia leguntur: بازماز صايفه ولايتنه غزايه كيدوب سلند نام قلعه‌يي محاصره اثناسنده منجنقدن ايتلان طاشك بر پارچه‌سي بو كرونه (l. كروهه) دوقنوب عظيم اثر ايلدي پس كيرويه دونوب كيدركن يولده رجب منتصفنده فوت اولوب جنازسي طرسوسه نقل وانده دفن ايلديلر. *Bazmaz in Graecorum ditionem expeditione suscepta arcem Saland appellatam oppugnavit. Quod dum facit, fragmentum lapidis e balista emissum turbam illam (obsessorum) vehementer afflixit et stragem edidit. Tum reversus inter proficiscendum in ipsa via decessit mense Redjebo, illiusque feretro Tarsum delato ibi sepultus est.* Sic igitur Orientales hoc loco corrigendo Byzantinorum errori inserviunt. At vicissim Graecorum auctoritate nomen Emiri variis modis corruptum emendari poterit, quod minime omnium ab illis exspectari posse videbatur. Cum enim alii hominem يازمار vel مازيار, alii بارمار, vel بازماز, vel بازمان appellent, Constantinus, cujus, quippe aetate non multum junioris, in talibus magna est auctoritas, istum Chalcidis obsessorem Ἐσμὰν nominat, nec reliqui variant. Quae scriptio ostendit nomen in omnibus, quae vidimus, Arabum exemplis corruptum, et يازمان rescribendum esse, a qua forma sane nomina يازمار et بازمان non multum discedunt. H.]

Pag. 43. v. 5 et seqq.] Quae hic narramus, in primis petivimus ex Kemaleddine et Freitagi in eum commentario, Abulfedâ, Noveirio et Macrizio.

Ibid. v. 13: *Farmam*] Ita cum Sacio in altero Chrestomathiae Arabicae tomo et Herbelotio in bibliothecâ orientali hoc urbis nomen pronunciavimus; et Quatremèrius Fermam etiam dixit, quamquam in codice Macrizii 372, ceterum carente vocalibus, manifeste scriptum est Forma.

[Ibid. v. 14. Chronicon Turcicum saepe a nobis laudatum Amedem non Fosthathae, sed Antiochiae obiisse tradit, corpus autem defuncti in Aegyptum translatum esse videri, quia refert Ibn Khalicanus se invisisse Ahmedis tumulum, apud Misr haud procul castello situm. H.]

Ibid. v. 18 seqq.] Lubet hic describere Baccaris vitam ex Chalicanide: ابو بكرة بكّار بن قتيبة بن ابي برذعة بن عبد الله بن بشير بن عبيد الله بن ابي بكرة نفيع بن الحارث بن كلدة الثقفي صاحب رسول الله كان حنفيّ المذهب وتولّي القضاء بمصر سنة ثمان او

او تسع وسبعين ومايتين وقيل قدمها متوليا قضاءها من قبل المتوكل يوم الجمعة لثمان خلون من جمادي الاخرة سنة ستّ واربعين ومايتين وظهر من حسن سيرته وجميل طريقته ما هو مشهور وله مع احمد بن طولون صاحب مصر وقايع مذكورة وكان يدفع له في كل سنة الف دينار خارجا عن المقدّر له فيتركها بختمها ولا يتصرف فيها فلما دعاه الي خلع الموفق بن المتوكل وهو والد المعتضد من ولاية العهد امتنع القاضي بكّار من ذلك والقصة مشهورة فاعتقله احمد ثمّ طالبه بجملة المبلغ الذي كان ياخذه كل سنة فحمله اليه بختمه وكان ثمانية عشر كيسا فاستحي احمد منه وكان يظنّ انه اخرجها وانه يعجز عن القيام بها فلهذا طالبه ولما اعتقله امره ان يسلّم القضاء الي محمد بن شاذان الجوهري ففعل وجعله كالخليفة له وبقي مسجونا مدّة سنين (? سنتين an) ووقفه للناس مرارا كثيرة وكان يحدث في السجن من طاق فيه لانّ اصحاب الحديث شكوا الي ابن طولون انقطاع استماع الحديث من بكّار وسالوه ان ياذن له في الحديث ففعل وكان يحدث علي ما ذكرناه وكان القاضي بكّار احد البكّايين التالين لكتاب الله عز وجل وكان اذا فرغ من الحكم خلا بنفسه وعرض عليها قصص جميع من تقدم اليه وما حكم به وبكي وكان يخاطب بنفسه ويقول يا بكار تقدم اليك رجلان في كذا وخصيمان في كذا وحكمت بكذا فما يكون جوابك غدا وكان يكثر الوعظ للخصوم اذا اراد اليمين ويتلوا (ويتلو .l) عليهم قوله تعالي إنّ الذين يشترون بعهد الله وايمانهم ثمنا قليلا الي اخر الاية (Cor. *Sur.* III. v. 71) وكان يحاسب امناءه في كل وقت ويسال عن الشهود في كل وقت وكانت ولادته بالبصرة سنة اثنتين وثمانين ومائة وتوفّي وهو باق علي القضاء مسجونا لستّ خلون من ذي الحجّة سنة سبعين ومايتين بمصر وبقيت مصر بعده بلا قاض ثلاث سنين وقبره بالقرب من قبر الشريف ابن طباطبا وقيل كانت ولايته القضاء سنة ستّ واربعين ومايتين وهو الاصحّ وقيل سنة خمس واربعين رحمه اللّه تعالي *

[Extrema pars vitae Baccaris inde a verbis وكانت ولادته aliter legitur in Cod. Palm. qui narrationem turbat et confundit. In eo inter alia scriptum est وتولي القضاء سنة خمس واربعين; deinde compluribus interjectis narratur, eum anno 246 Iudicem Fosthathae factum esse, omissis verbis Codicis Mauritanici extremis وقيل سنة خمس واربعين. Eadem confusio regnat in illis, quae de sepulcro Baccaris traduntur, quod alio loco, in vicinia tumuli al Scherifi Ibn al Thabathabae ponitur, Codici Leydensi convenienter; in alio loco sic describitur: وقبره مشهور هناك عند مصلي بني مسكين علي الطريق تحت الكوم وبينه وبين الطريق المذكور معروف باستجابة الدعاء. Qui in hac vita memorantur امناء القاضي aliunde mihi non innotuerunt. Nisi distinguerentur ab الشهود, illos assessores et syndicos Iudicis esse arbitrarer. An simpliciter sunt interioris admissionis amici, quos de rebus gravioribus in consilium adhibebat? H.]

Pag. 44. v. 6 seqq.] Hoc ex Deguignesio: quae vs. 9 et deinceps sequuntur ex Noveirio petivimus.

Ibid. v. 12: *Saidem Mochalledis filium.*] Quem Noveirius in historiâ Abbasidarum Movaffecis vezirum adpellaverat, hic in historiâ Tulonidarum eius scribam nominat.

Ibid. v. 17 et seqq.] Ita interpretatus sum haec Noveirii verba: فعرضوا كتبه علي الموفق فسرّه ما تضمّنته وعلم ان ابن طولون انّما فعل ذلك لمغالاته في المناصحة لهم وكان الموفق كامل العقل فسكّن ذلك منه ما كان في نفسه علي احمد ومال قلبه اليه *

[Ibid. v. 26. Chron. Turc. eum obiisse tradit die 10 Dzulkadae, anno aetatis 50, et male adjicit eum per annos 20 Aegypto praefuisse. H.]

Pag. 45. v. 9.] Hic Chalicanidi praetulimus auctores laudd. a Freytago n. 148.

Ibid. v. 11 et seqq.] In Macrizio est: فلما بلغ المعتمد موته اشتدّ وجده وجزعه عليه وقال يرثيه

الي الله اشكوا اسي عراني كوقع [a] الاسلّ *
علي رجل اروع يري فيه فضل [b] الرجلّ *
شهاب خبا وقده وعارض غيث [c] اقلّ *
شكت دولتي فقده وكان يزين الدولّ *

a Carmen hoc absque vocalibus legitur in manuscriptis codicibus: ceterum الاسلّ scribendum esse pro الاسلّ, et apparet e metro versuum Bacchiacorum, qui in sede sexta non anapaestum habent, sed iambum, et e versu quarto, ubi الدول accusativus est, adeoque nisi الدولّ scribas, omoeoteleuton non obtinet.

b Est infinitivus verbi رجل, quod inter alia significat *virili animo esse*, *virum se praestare.*

c Est hoc pro أقلّ, ut videtur. Secuti autem sumus auctoritatem codicis 372, nam in 371 est اهل et in 276 افل.

Versus sunt Bacchiaci trimetri, qui tamen, quod de solis tetrametris Jonesius monuit, in sede primâ et quartâ amphibrachyn quoque recipiunt.

[Quod ad hos Motamedis versiculos attinet, tria sunt, quae animadvertam. Primum hoc est: أشكو mihi scribendum videri in prima pers. aoristi, demta litera Elif, quae in ejusmodi formis millies sine caussa additur. Alterum, الرجل Infinitivum non esse speciei primae, ea in significatione, quam extremam ponit Golius, *virum se praestandi.* Hic enim vel رجلة, vel رجولة, vel رجولة, vel رجولية sonaret. Num forte est illud collectivum, quod apud Sacyum est formae 28 et a participiis derivatur? Sic igitur descenderet رجل a راجل,

راجل, quod inter alia significare poterit *virili animo praeditum.* Tertium hoc est, quod aliter legendum et vertendum censeam versiculi tertii posterius hemistichium. Neque enim Motamedes eum, quem laudari voluit, *nubem pluviae paucae*, i. e. *avarum* appellasset. Sed haec procul dubio illius fuit sententia, nubem illam uvidam (i. e. hominem liberalissimum et munificentissimum) evanuisse. Ergo pro اقل cum Codice 276 reponendum est افل, quod de omnium rerum occasu dicitur. H.]

Pag. 46. v. 21 et seqq.] Auctor Macrizius tradit: وكانت صدقاته علي اهل المسكنة والستر وعلي الضعفاء والفقراء واهل [a] التجمّل متواترة وكان راتبه كذلك (لذلك .l) في كل شهر الفي دينار سوي ما يطرأ عليه من النذور وصدقات الشكر علي تجديد النعم وسوي مطابخة التي اقيمت في كل يوم للصدقات في داره وغيرها يذبح فيها البقر والكباش ويفرق للناس في القدور الفخّار والقصاع علي كل قدر او قصعة لكل مسكين اربعة ارغفة في اثنين منها فالوذج [b] والاثنين الاخر فوق القدور وكانت تعمل في داره وينادي من احبّ ان يحضر دار الامير فليحضر ويفتح الابواب ويدخل الناس الميدان وابن طولون في المجلس الذي تقدّم ذكره ينظر الي المساكين ويتامّل فرحهم بما ياكلون ويحملون فيسرّه ذلك ويحمد الله علي نعمته ولقد قال له مرة ابراهيم بن قراطغان وكان علي صدقاته ايّد الله الامير انّا نقف في المواضع التي تفرّق فيها الصدقة فتخرج لنا الكفّ الناعمة المخضوبة نقشا والمعصم الرايع فيه [c] الحديدة والكفّ فيه الخاتم فقال يا هذا كل من مدّ يده اليك فاعطه فهذه هي الطبقة المستورة التي ذكرها الله في كتابه فقال تعالي [d] يَحْسَبُهُمُ الجَاهِلُ أَغْنِيَاءَ مِنَ التَّعَفُّفِ فاحذر ان تردّ يدا مدّت اليك واعط كل من يطلب منك *

a Vocem non satis intelligo. Quinta verbi جمل forma, ut Golius ait, significat *bene pulchreque sese habere*: unde اهل التجمل honestiorem hominum classem designare potest, vel etiam, quod magis placet, re aliquâ bene meritos. Nisi scripturae integritas omnibus tribus manuscriptis codicibus firmaretur, suspicari posses rescribendum esse التحمّل, quod significet *patientiam*: et miseram quandam conditionem designari, probabile fit ex his Noveirii verbis, ubi et ipse de Tulonidis liberalitate exponit: وكان يصنع في كل جمعة من اصناف الاطعمة والحلوا شيا كثيرا يحضرها الناس من فقير ومستور ومتحمل ومحتاج * Ita enim scriptum inveni متحمل; quod tamen documento esse nequit sic etiam pronunciari oportere; nam codex, quem unicum tantum habemus, punctorum diacriticorum plurimis caret. Verumtamen locus vocis inter مستور, quod, uti mox ostendemus, *pauperem modestum* significat, et محتاج, quod *egenum*, verisimile reddit, quod supra diximus, conditionem quandam miseram designari. Quod reliquum est, Noveirius epulas istas semel hebdomade, non quoque die, ut praeter Macrizium Chalicanides narrat, paratas fuisse dicit, quod forte verius est.

[اهل التجمل possunt esse feminae elegantiores, quae stipem petere malebant, quam ornatum, quem possidebant, vendere, ut vitam tolerarent, quales inter egenas istas fuisse sequentia demonstrant. Talis igitur conditionis pauperes erant simul مستورون et متجملون, quos conjunxit Nuweirius. Quintae speciei nullam significationem tribuit Golius huic loco aptam. Eandem vero nobis offert Pseudo-Wakidaeus in *Expugn. Aeg.* p. 16, de Mohammede haec ex Hathebi ibn Baltaäe traditione referentem: ورايته يتجمل لاصحابه فضلا عن تجمله لاهله, ubi verbum تجمل habet *semet exornandi*, vel *comendi* significationem. H.]

b Haec non intelligimus, et forte corrupta sunt. Certe legendum اثنان.

c Nomen حديدة *ferrum* et *ferramentum* vertitur a lexicographis, sed hic armillam, eamque pretiosiorem, designare videtur. Quod confirmatur Ibrahimi verbis, ut referuntur a Soiutio: ربما امدّت الي اليد المطوّقة بالجوهر والمعصم ذو السوار والكم الناعم افامنع هذه الطبقة: hoc est: *Saepe ad me protenditur manus ornata margaritis, et carpus induta armillâ, manicaque formosa: arceamne hanc classem?* Quamquam enim diverse haec verba a Macrizio Soiutioque traduntur, hunc سوار nominasse, quod ille حديدة, palam esse videtur. Chalicanides verba Ibrahimi alio iterum modo refert, sed nullum quoque memorat ferrum. Ita igitur hicce: ان تاتيني المراة وعليها الازار وفي يدها خاتم الذهب فتطلب مني افاعطيها: *Si mulier velata amictu, et manum aureo induta anulo, ad me veniat meque rogat: dabone ei?* [Nec aliter Monadjdjim Baschi, qui Ibn Khalicanum ut videtur secutus est. H.]

d Verba sunt e versu Surae secundae CCLXXIV, ubi legimus: وما تنفقوا من خير يوف اليكم وانتم لا تظلمون للفقراء الذين احصروا في سبيل الله لا يستطيعون ضربا في الارض يحسبهم الجاهل اغنياء من التعفف تعرفهم بسيماهم لا يسالون الناس الحافا وما تنفقوا من خير فان الله به عليم: *et quod erogaveritis e bonis, retribuetur vobis, nec iniuste tractabimini; pauperibus, qui ob religionem prohibentur, et terram peragrare nequeunt, quos imprudens pro divitibus habet ob modestiam: cognosces eos ex notâ eorum, non rogant homines importune; et quod erogetis e bonis, Deus id novit.* E quibus Alcoranis verbis nunc plane intelligitur, quae hominum classis مستورة adpelletur. De vocis significatione aliqua disseruit Sacius in commentario in libri Abdallatifi II caput II, atque transtulit, *les gens d'une condition honnête.* Hos pauperibus opponi putat, sed minus recte fortasse, ut ex Alcoranis verbis, quae citavit Tulonides, colligendum videtur: hic enim de ipsis pauperibus sermo est. Videntur igitur designari egentes, qui tamen tantum decoris habeant, ut paupertatem quovis modo tegant, et alios rogare ferme vereantur.

Pag. 47. v. 8 et seqq.] Quae hic narramus, petivimus e Freitagii in Kemaleddinem commentario, Elmacini historiâ Saracenicâ et Noveirii memoriâ Tulonidarum. De ratione

ne qua Amedes portum Ptolemaidis muniverit multis verbis exponunt Kasvinius et Lexicon Geographicum; sed locus in utroque auctore adeo corruptus est, ut sine meliorum Codicum ope intelligi nequeat.

[Ibid. v. 15 seqq. Divitias Ahmedis etiam auget Chronicon Turcicum, asserens eum reliquisse millies centena millia aureorum, decem millia servorum armatorum, equorum totidem. H.].

Ibid. v. 23 et seqq.] Hanc Amedis crudelitatem prodiderunt Chalicanides et Elmacinus.

Pag. 48. v. 21 seqq.] De his copiose exposuit Renaudotius in historiâ patriarcharum Alexandrinorum LVI, quocum conferendus est Elmacinus, item Macrizius a Sacio citatus in notâ LXVI ad libri alterius Abdallatifi caput secundum.

[Addenda ad pag. 3. v. 16 sqq. Quod h. l. et in testimoniis p. 51 ex Nuweirio traditur, Tarsi celebres tum fuisse traditionis doctores hominesque pietate, abstinentia et religionis studio florentes, confirmatur etiam testimonio Kazwinii in libro اثار البلاد واخبار العباد MS. 512. p. 228, haec ex Mohammede Hamadanensis filio referentis: قال محمد بن الهمداني لم يزل طرسوس موطن الزهاد والصالحين لانها كانت من ثغور المسلمين, *Ait Mohammed ibn al Hamadani Tarsum perpetuam fuisse sedem piorum proborumque hominum, quoniam erat ex Moslemorum confiniis.* Rem accuratius explicat Kazwinius alio loco, jam edito in Uylenbroekii *Iraka* p. 46, *vers.* p. 61, ubi urbem Kazwinem eo nomine Moslemis ad incolendum commendari dicit a traditionis auctoribus, quod in confiniis esset posita (لكونها ثغرا), tum refert traditionem ab Alio ibn Abi Thaleb a Mohammede acceptam, qua Alexandriae et Kazwinis expugnatio praedicitur, et illis qui in istis urbibus, aut in alterutra, vel unam noctem excubaverint (من رابط فيهما او في احديهما ليلة) peccatorum remissio et immunitas promittitur. Quod Mohammedis effatum procul dubio post occupatam demum a Moslemis Kazwinem extremis Omari Khalifae annis confictum est a callidis traditionis doctoribus aut viris principibus, qui hac ratione hominibus superstitionis suae tuendae et propagandae studiosissimis persuadere conabantur, ut al altera parte Alexandriam contra Graecorum classes, ab altera Kazwinem adversus Hyrcanos, vel Daylomitas, gentem ferocissimam tuerentur. Quod cum ab initio mirifice placuisset illis, qui memores essent praecepti Coranici Sur. III. v. 200: يا ايها الذين امنوا اصبروا وصابروا ورابطوا واتّقوا الله لعلكم تفلحون, *O vos qui creditis, patientes estote, et agite fortiter, et in finibus excubate, et Deum timete; ut felices sitis*, ejusdem traditionis auctoritatem posteri deinceps ad Tarsum transtulerunt, idque tanto cupidius fecerunt, quanto plus periculi et momenti nova illa belli sacri statio haberet. Ergo ab eo inde tempore ingens hominum


 mul-

multitudo, sive pro religione pugnare, sive Deo alia quacumque ratione placere et religioni satisfacere cupientium, in novum illud Moslemicae superstitionis receptaculum confluxit. Traditionis vero illius falso Mohammedi tributae mendacium senserat forte jam olim Bokharius, qui in Sonna MS. 356. T. I. p. 587 habet quidem caput inscriptum: باب فضل رباط يوم في سبيل الله, in quo unius diei in bello sacro excubias (رباط) toto orbe terrarum praestantiores esse dicit, sed loco adeo opportuno traditionis illius nullam mentionem facit. H.]

[Addenda ad pag. 6. v. 4. Quando hoc primum institutum fuerit ut Aegyptus in complures minores praefecturas divisa, variis legatis, sive ipsius Khalifae, sive procuratoris ab eo constituti, pareret, affirmare non ausim. At consuetudinem istam obtinuisse jam antea sub al Motasemi Khalifatu (A. H. 219—227) discimus ex Bar Hebraei loco in *Chronico Syriaco* p. 154, qui ex isto Arabicorum Principum more lucem foeneratur. Ibi sermo est de itinere a Georgio Nubarum Rege ad Khalifam salutandum suscepto, quem jussu Principis apud Syenem exceperint ܥܡ̈ܠܐ ܕܡܨܪܝܢ. Quas voces male de *operariis Aegypti* intellexit Brunsius, de *praefectis*, collato Arabico عُمّال, a sing. عامل, bene explicuit Lorsbachius, in *Archiv fur die Morg. Litt.* p. 244, licet nullam caussam attulerit, cur *plures* eodem tempore illius provinciae praefecti memorentur. H.]

❁





INDEX

VOCUM ORIENTALIUM.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM.

A.

daäe

B.

C.

D.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

Mo-

N.

O.

P.

R.

V.

W.

Y.

Z.

ERRATA.

E R R A T A.

Pag.	v.	pro		lege
Pag. 7.	*v.* 20.	*pro*	Cadimus	*lege* Chadimus
— 8.	— 38.	—	Al Alasgar	— Al Asgar
— 17.	— 5.	—	Abuchalid	— Abuchalidis
— 30.	— 8.	—	diffundebatur	— diffunderetur
— 37.	— 30.	—	Ebadidarum	— Ibadidarum
— 38.	— 15.	—	hostum	— hostium
— 38.	— 17.	—	octingentesimi	— octingentesimi octogesimi
— 41.	— 16.	—	Zussiefeini	— Zusseifeini
— 41.	— 34.	—	Abaumedes	— Abuämedes
— 42.	— 14.	—	Gafaro	— Gafare
— 43.	— 5.	—	copiam magnam	— copiâ magnâ
— 44.	— 19.	—	literas dedit	— ad fratrem literas dedit
— 45.	— 23.	—	octingentesimo	— octingentesimo octogesimo
— 46.	— 10.	—	Novirius	— Noveirius
— 48.	— 3.	—	Hasanem	— Hoseinum
— 50.	— 13.	—	خرلخية et خرلجية	— خزلخية et خزلجية
— 57.	— 2.	—	يثارب	— يثابر
— 64.	— 7.	—	defuit	— deficit







